



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

R.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

tiarum publicatione petunt pro se, aut loco pio, quive elemosynas collectas in pios usus erogant. *Trid. sess. 21. c. 9. de refor. & sess. 5. de refor. c. 2. in fin.* Vid. Nav. *tract. de jub. 1. & in dul. not. 46.*

R.

## ADDITIO.

Raptus.

**R**aptus propriè dicitur quando persona aliqua invita, vel resistentibus ejus parentibus, seu illis sub quorum cura est, adducitur per vim ad libidinem explendam; vel ad matrimonium contrahendum. Raptor subjacet pœnis Tridentini, etiamsi postea non expleverit libidinem ob superveniens impedimentum. Raptus superaddit fornicationi multiam contra justitiam, & non solum committitur, quando femina abducitur per vim, sive ipsa sit virgo, sive corrupta, sive conjugata: sed etiam quando vir abducitur per vim. *Secus dicendum quando quis virginem opprimit in domo patris, aut illam trahit de uno cubiculo in aliud, ut ibi ea facilius abutatur tom. 1. De iis, quæ pertinent ad usum matrimonii, quæst. 4. punct. 18. n. 1. & seq.*

2. Pœnæ contra raptorem decretæ sunt capitis & bonorum amissio, excommunicatio ipso facto incurrenda ante sententiam judicis ab ipsis etiam qui consilium, auxilium & favorem præbent raptoribus; præterea infamia & incapacitas dignitatum: ut raptor non possit contrahere cum raptâ se vel ab alio antequam constituatur in loco tuto, ut teneatur, sive matrimonium contrahat, sive non, ad decenter dotandam raptam arbitrio judicis, & ut matrimonium invalidum sit, dum raptâ est in potestate raptoris. *ibid. n. 9. & seq.*

3. Ille adhuc dicendus est raptor, qui per vim abducit uxorem, quæ vult uti spatio duorum mensium sibi à jure concesso ante consummationem matrimonii. *ibid. n. 13.*

## ADDITIO.

Ratificatio.

Ratificatione, etiam tacita, convalescunt gesta per metum,

tum, oportet verò ratificationem fieri animo validandi a-  
ctum alias nullum. *Operæ*) vid Navar. *conf.* 44. *de regul*  
Factum alicujus nomine, validatur tempore, quo ipse  
ratificat.

## Ratificatio.

Factum tuo nomine, seu tui contemplatione, cum posses  
tuo agi mandato, si ratum habes, cenferis mandasse, non ta-  
men penas mandantis incurris, nisi id exprimat lege. V.  
Grass *l. 2 c. 127 n. 7. q. 1* vid Syl. *consensus n. 6. Ang. eod. n. 4.*  
Navar. *17. num. 133. Pœnas*) Fel. & alii putant, ratum haben-  
tem homicidium irregulari fieri. *Spec. de disp. & Cov. in*  
*dem. si furiosus p. 2. §. 2. num. 4.* negant.

## Religio, Religiosi.

Vid. v. *Apostata, Monasterium, Munera, Simonia, Suspendio,*  
*Votum,*

1. Religiosi non tenentur ad clausuram perpetuam, &  
clausuræ violatio respectu illorū, non est peccaminosa mor-  
taliter, per se loquendo, *tom 1. De Clausura, & pœnis viola-*  
*tori bus i. sius impositis, quest 2. punct. 1. num. 2.*

2. Religiosus excusatur ab omni culpa exeundo à mona-  
stério, quando obtinuit licentiam Superioris expressam vel  
tacitam, juxta præscriptum religionis, quæ licentia licitè  
concedi non potest à Superiore, nisi aliquam legitimam il-  
lius concedendæ causam habeat; imò religiosus non solum  
potest, sed & tenetur nonnunquam monasterio egredi ut pa-  
rentibus subveniar, de qua re vide v. *Lex. ibid. n. 3. & 4.*

3. Multis modis & multiplici occasione clausuram vio-  
lare possunt religiosi: ut dimittendo habitum, matrimonium  
contrahendo &c Religiosus autem tacite vel expressè pro-  
fessus dicitur dimittere habitum, quando habitū deponit ad  
sic incedendum, vel ad se occultandum, ita ut eo deposito  
nequeat religiosus dignosci. Religiosus ergo in omni loco  
& tempore habitum suæ religionis deferre debet, saltem ex  
honestatis debito. *ibid. punct. 2. num. 2. & 3.*

4. Religiosus excommunicationem incurrit, non solum  
dum totum suæ religionis habitum dimittit, verum etiam  
dum partem detinet, alia dimissa, sed ex parte retenta nequit  
religio

religiosus dignosci. Idem dic de religioso occultante vellet suæ religionis alio habitu super imposito: & de eo qui accedit ad aliquem locum sine habitu, etiamsi facultatem à suo Superiore ad illum locum accedendi obtinuerit. Similiter religiosus non deferens habitum in suo monasterio, excommunicationem incurrit juxta probabiliorem sententiam, *ibid. num. 8 & seq.*

5. Adverte tamen, religiosum non incurrere excommunicationem ob quamlibet habitus dimissionem, ut si fiat, v. g. causa servandæ vitæ dum per loca Turcarum vel inimicorum transiturus est: aut si dimittat ignorans prohibitionem, aut causa alicujus ludicræ actionis, aut ad assumendum habitum alterius religionis strictioris, modò non assumat contra jura; nam religiosus ita assumens, incurrit excommunicationem, licet multi Doctores oppositum sentiant. *ib. n. 13 & seq.*

6. Religiosus dimittens habitum ad tempus, incurrit excommunicationem, etiamsi animum habeat illum iterum assumendi; secus dicendum si dimittat tantum ad modicum & breve tempus, ex g. ad dimidiam, vel etiam ut plurimum ad integram horam; etiam si intentionem habuerit diutius dimittendi. *ibid. n. 19. & 20.*

7. Religiosi Societatis Jesu dimittentes habitum religiosum in partibus ubi sæcularem habitum non assument, legantur excommunicatione. Idem dicendum de Religioso promotò ad beneficium parochiale alicujus Ecclesiæ, si dimittat habitum suæ religionis. *ibid. n. 24. & 5.*

8. Religiosus creatus Episcopus non tenetur sub excommunicatione habitum suæ religionis deferre, quidquid sentiant multi in contrarium: quia religiosus factus Episcopus eximitur ab omnibus regulis & statutis religionis. Idem dic de religioso ad dignitatem Abbatis electo, habente propriam diocesium nulli Episcopo subjectam: quamquam religiosus creatus Episcopus vel Abbas cum dignitate quasi Episcopali, tenetur adhuc tribus votis religionis. *ibid. num. 26. & seq.*

9. Religiosus ad Cardinalatus apicem euectus, non subicitur excommunicationi non deferendo habitum suæ religionis. *ibid. num. 9.*

10. Religiosus dimittens habitum suæ religionis excommunicationem incurrit, etiamsi physicam vel leges sine Superioris licentia audire non intendat. *ibid. n. 30.*

11. Religiosus professus matrimonium sine licentia Papæ

contra-

contrahens, aut proficiscens ultra mare sine licentia sui Superioris in scriptis expressa, excommunicationem incurrit, etiam si id faciat absque pravo animo vel scandali periculo. Et Superior concedens facultatem alicui religioso litterato, sed non provido vel experto, transferendi se ad partes transmarinas in quibus pauci fideles reperiuntur, non eximitur ab excommunicatione. *ibid. punct. 3 & punct. 4. num. 1. & seq.*

12. Superior alicujus ordinis non incurrit excommunicationem transferendo se ultra partes transmarinas sine licentia. *ibid. punct. 4. num. 8.*

13. Omnes Monachi & Canonici regulares non habentes administrationem adeuntes curias Principum ad nocendum suis Prælati aut monasteriis, excommunicationem ipso facto incurrunt, etiam si nullum damnum re ipsa inferant. Ita *Clement. I in agro. de stat. monach.* Nec refert quod ad præfatas curias accedant cum licentia generalis suorum Prælatorum, *ibid. punct. 5. n. 1. & 6.*

14. Monachus qui bono animo curiam ingressus est, sed postea in curia commoratur intentione damnum inferendi suis Prælati vel monasteriis, excommunicationem non videtur incurrere, juxta probabilem *D. Bonacinæ* opinionem. *ibid. num. 4.*

15. Religiosus accedens ad præfatas curias animo nocendi alteri religioso, vel alteri religioni seu monasterio, non incidit in excommunicationem: textus enim loquitur de nocentibus suis Prælati aut monasteriis. *ibid. nu. 9.*

16. Adverte tamen, accedentem ad curias Principum animo nocendi, excusari ab excommunicatione, si hoc faciat ex ignorantia etiam crassa & supina, modo non sit conjuncta cum ingenti temeritate. *ibid. num. 14.*

17. Religiosi accedentes ad studia, seu proficiscentes alio, id est extra oppidum sui monasterii, sine licentia sui Prælati & consilio Conventus, vel majoris partis, laqueo excommunicationis obstringuntur. Hinc sequitur, accedentem ad studia sui oppidi sine licentia sui Prælati, non incurrere hanc excommunicationem. Idem dicendum, si accedat ad aliud monasterium suæ religionis, in quo studia exercentur: nam hic non dicitur accedere ad studia, sed potius mutare cœnobium. Imò religiosus transferens se ad aliud monasterium suæ religionis intentione dandi operam studiis, quæ extra monasterium exercentur, non incurrit excommunicationem.

nem, si intentionem habeat degendi in monasterio suae religionis, *ibid. punct. 6. n. 1. 4. & seq.*

18. Generalis aut Provincialis (vel etiam Episcopus respectu religiosorum non exemptorum,) potest facultatem concedere religioso sibi subdito accedendi ad studia; quod si licentia sit invalida, videlicet obtenta per dolum vel metum gravem, religiosus accedens ad studia, non eximitur ab excommunicatione, *ibid. num. 8. & 9.*

19. Non est necesse totum Conventum convocare dum alicui religioso concedenda est facultas exeundi ad studia, sufficitque consilium petitum esse à majori parte conventus, etiam si non adsit consensus, dum Superior concedit religioso facultatem eundi ad studia *ibid. num. 10. & 11.*

20. Praelatus monasterii non afficitur excommunicatione accedendo ad studia sine licentia, quamvis forte aliunde peccet, *ibid. n. 14.*

21. Religiosus è claustris, id est extra civitatem, exiens ad audiendas leges, vel medicinam, subijcitur excommunicationi, nisi ad claustrum intra bimestre redeat. Quod si exeat de claustris alia de causa, quam occasione audiendi physicam vel leges, non incurrit excommunicationem, *ibid. punct. 7. n. 1. & 5. item*

22. Religiosus non exiens animo audiendi medicinam vel leges, non videtur in excommunicationem incidere, etiam si postea extra claustrum permaneat animo eas audiendi, *ibid. num. 6.*

23. Religiosus monasterio egressus intentione audiendi medicinam vel leges, excommunicationem incurrit, etiam si postquam egressus est, mutaverit intentionem illas audiendi, nisi forte intra duos menses redeat *ibid. n. 7.*

24. Religiosus egrediens monasterio ad docendum medicinam vel leges, non incurrit excommunicationem juxta communioem Doctorum sententiam: quia jura loquuntur solum de exeuntibus ad audiendum. Imò docens leges vel medicinam coram religioso, non graviter peccat, nisi forte religiosus habitum dimiserit, *ibid. n. 9. & 10.*

25. Novitius non ligatur excommunicatione exeundus è claustris ad audiendas leges vel medicinam, *ibid. n. 14.*

26. Magistri seu Doctores qui religiosum postquam dimisit habitum, medicinam, aut leges, seu jus civile docere, aut in scholis scienter retinere, seu excipere dum lectio habetur,

betur, præsumunt, excommunicationis pœna ipso facto puniuntur; & hoc verum est siue doceantur in scholis, siue extra scholas. *ibid punct. 8. num. 1. 3. & 7.*

27. Doctor seu Magister docens aliquos dum novit religiosum in domo propinqua ipsum audire, non ligatur excommunicatione. Quod si advertat religiosum adesse in sua schola, qui dimisso habitu intendat ipsum audire, debet eum expellere, & si admonitus exire nolit, & sine scandalo expelli nequeat, dimittat lectionem. *ibid. num. 10. & 11.*

29. Licitus est transitus ab una ad aliam arctiorem religionem, nisi aliud obstat, quia cuilibet jure naturæ competit jus perfectioris vitæ capessendæ. *ib. punct. 9. §. 1. n. 1.*

29. Quæres, an licitum sit alicui novitiatum vel professionem suscipere animo firmo vel dubio transeundi ad aliam religionem, cum studiorum cursum perfecit, vel ad presbyteratus ordinem promotus fuerit. Respondendum posse quidem ad arctiorem religionem transire, sed graviter peccare ingrediendo religionem, vel proficendo cum præfata firma vel dubia intentione, tenetur tamen ad restitutionem expensarum quas monasterium sibi in ipso alendo, & ipse detrahere potest æstimationem laboris & ministerii in utilitatem monasterii exhibiti; secus dicendum de novitio bona fide religionem ingresso, si enim ille exeat, non tenetur ad expensas. *ibid. num. 2.*

30. Transitus ad arctiorem religionem conceditur non solum jure humano, verum etiam jure naturali divino, quibuscumque religiosis, etiam conversis vel oblatiis, & monialibus; imò & conventus totus transire potest ad arctiorem religionem, nisi forte aliud obstat. *ibid. §. 2. n. 1. & seq.*

31. Prælati religionis ad volare potest ad perfectiorem religionem. Item Episcopus regularis transire potest ad arctiorem religionem petita prius à Summo Pontifice licentia; imò potest ad laxiorem transire, posito quod renuntiato Episcopatu, nolit ad priorem redire. *ibid. num. 6. & seq.*

32. Transiens de una religione ad aliam, tenetur novum peragere novitiatum in secunda religione ad quam transit, debet enim ante professionem illius omnia & asperitates experiri. *ibid. num. 10.*

33. Volens ad arctiorem religionem transire, licentiam transeundi petere debet à suo Superiore, & ei transitus cautam aperire; ita expresse habetur in cap. licet, de regular. Et

Prælati non debet religiosum alterius religionis laxiorem remittere, dum illi denegatur à suo Superiore licentia transeundi; nisi ei constet licentiam à Superiore prioris religionis, nique & indiscrete denegari. Professio in arctiori religione facta, valida est, etiam si petita vel obiecta non fuerit licentia. *Ibid. §. 3. difficult. 1. n. 1. & seqq.*

34. Religiosus qui licentiam transeundi ad aliam religionem obtinuit, prius inquirere debet religionem à qua recipitur antequam monasterio egrediatur, alioquin obligationem clausura violat. *Ibid. n. 5.*

35. Religiosus volens transire ad arctiorem seu asperiores religionem, licentiam petere potest ab immediato Superiore monasterii, aut à Provinciali vel Generali, non tenetur tamen licentiam a conventu petere. *Ibid. n. 9 & 10.*

36. Monialis volens ad arctiorem religionem transire, non satisfacit petendo licentiam ab Abbatisa, sed huiusmodi licentia petenda est à Prælato cui subest monialis, sive is sit Episcopus, sive Prælati regularis. *Ibid. n. 11.*

37. Summus Pontifex non potest in foro conscientie licentiam transeundi ad laxiorem religionem concedere sine iusta causa, quia facultas transeundi ad laxiorem, continet communicationem voti in minus, consequenter continet quamdam dispensationem, sed Papa non potest sine iusta causa in voto, seu iure divino dispensare, ergo. &c. *Ibid. n. 14.*

38. Religiosus facultatem habens transeundi ad quamlibet laxiorem religionem, non potest ingredi religionem equitum militarium, nisi id disertis verbis exprimat, quia licet equites sint viri religiosi, non tamen sub communi religiosorum nomine comprehenduntur. *Ibid. n. 15.*

39. Transitus ab una religione ad aliam fieri debet sine notabili damno vel infamia prioris religionis, bono zelo seu amore majoris perfectionis: & si dubium sit, an bono vel pravo animo ad aliam religionem quis transire velit, bonus animus & zelus præsumendus est. *Ibid. difficult. 2. n. 1 & seq.*

40. Transiens ad aliam religionem, non tenetur ad vota primæ religionis: & in secunda sedere debet juxta tempus quo in illa professionem emisit. Quod si quis ad aliam religionem transeat ut ibi sit Prælati, finito officio remanet religiosus primæ religionis, quia qui ad religionem proficiscitur, ut ibi sit Prælati, non solet ibi professionem emittere. *Ibid. §. 4. difficult. 1. n. 1. & seq.*



41. Quando religiosus certam sedem non habet, sed ad curam Superioris amovetur, & transmittitur ab uno monasterio ad aliud ejusdem religionis, cujus unum est caput, id est, Generalis vel Provincialis. bona aut jura ab hujusmodi religioso acquisita jure communi pertinent ad totum ordinem seu religionem, & ad Generalem pertinet illa applicare cui velit monasterio, nisi aliud ferat consuetudo, vel statuta religionis. *ibid. difficult. 2. num. 1.*

42. Bona quæ priori monasterio acquisita fuerant, remanent apud prius monasterium, dum religiosus ab una ad aliam religionem transit, nisi forte posterius monasterium cogatur religiosum suscipere. *ibid. n. 2.*

43. Si monasterium aliquod inundatione, incendio, vel alia ratione destruat, nec reedificetur, bona religiosorum devolvuntur ad monasterium ad quod transferuntur religiosi illius monasterii destructi. *ibid. n. 3.*

44. Bonorum religionis à Summo Pontifice deletæ & extinctæ, dispensatio acquiritur Summo Pontifici, si loquamur de religione exempta: si de non exempta, sed Episcopo subjecta, acquiritur Episcopo tamquam illorum dispensatori. *ibid. num. 4.*

45. Religiosus transiens ad aliam religionem, non potest quidquam secum deferre, nisi à Prælato primæ religionis, vel à Summo Pontifice expresse vel tacite data sibi fuerit facultas deferendi. Item monialis non potest secum deferre dotem, dum ad sui instantiam, vel ad instantiam secundi monasterii transfertur ad aliud monasterium: & hæreditas quæ delata non fuerat antequam religiosus profiteretur in secunda religione, pertinet ad primam religionem, etiamsi tunc temporis hæreditas adita non fuerit. Adde usumfructum alicujus rei quem religiosus acquisierat ante professionem, vel etiam post professionem, contemplatione sui, non contemplatione prioris monasterii, non remanere penes prius monasterium, sed penes secundum à die professionis factæ in secunda religione. quia ususfructus sequitur personam: in dubio tamen an ususfructus relictus sit contemplatione monasterii, vel contemplatione personæ, præsumitur relictus contemplatione monasterii. *ibid. n. 5. & seq.*

46. Peculium concessum religioso ea lege ut monasterium in illud non se ingerat, alioquin illud perdat, acquiritur secundo monasterio quoad fructus percipiendos, postquam

quam religiosus professionem in secundo monasterio edidit. *ibid. num. 11. Item*

47. Bona acquisita à religioso postquam transit à religione capaci vel incapaci ad religionem incapacem, vel etiam capacem, non pertinent ad primam religionem, modo in secunda religione professus sit, quia non est amplius religiosus prioris monasterii. *ibid. num. 12.*

48. Religiosus ad Episcopatum assumptus bona quae acquirunt à die confirmationis Pontificiae, donatione, legato, testamento, vel alia ratione, pertinent ad Ecclesiam cuius est Episcopus, neque sibi potest acquirere, cum ratione voti paupertatis abdicaverit à se jus acquirendi dominium. Idem militat in religioso ad Cardinalatum euecto, qui subijcitur immediatè Summo Pontifici, & in religioso de licentia Papae pensionario. *ibid. n. 16. & seq.*

49. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes, (excipite religionem Carthusianorum,) etiam cum facultate Pontificis, privantur voce in Capitulo tam regulari, quam seculari. Item privantur loco in Capitulo quoad honores, non vero privantur loco in choro, inhabiles tamen efficiuntur ad quaelibet officia & administrationes etiam extra religionem. Excipiuntur ab his poenis religiosi invalide professi in prima religione, & religiosi translati ad non mendicantes qui iterum revertuntur ad mendicantes. *ibid. § 5. difficult. 1. num. 1. & seq.*

50. Fratres reformati excommunicationem incurrunt transeundo ad fratres Conventuales, aut recedendo ab obedientia suorum Ministrorum. Idem dicitur de Capucinis recipientibus fratres Minores de Observantia sine licentia Papae, & etià de ipsismet fratribus de Observantia transeuntibus ad Capucinos sine facultate Summi Pontificis, aut sine licentia in scriptis suorum Provincialium ministrorum. Similiter fratres Minimi ligantur excommunicatione recipiendo fratres Minores de Observantia. *ibid. difficult. 2. num. 1. & seq.*

51. Religiosi ordinis Humiliatorum excommunicationem incurrunt, admittendo aliquem ad habitum vel professionem sui ordinis. Hac prohibitio edita fuit à Pio V. in Bolla, *Quemadmodum*, in detestationem nefandi sceleris attentati à Farina religioso illius ordinis contra S. Carolum, quem selopo ad necemperere intendebat. *ibid. num. 4.*

52. Religiosi cujuscumque ordinis excommunicationem incurrunt recipiendo Patres Societatis JESU non obtenta à Generali licentia. Eadem excommunicatione ligantur ipsi et Patres, sine præfata licentia transeuntes ad aliam religionem, & dantes ad id auxilium *ibid num. 5.*

53. Religiosi claustrales recipientes Minores sine licentia Summi Pontificis; & religiosi Minores recipientes fratres ordinis Prædicatorum, excommunicationi subjiciuntur. Minimi quoque subtrahentes se ab obedientia Correctorum, & Tertiarii Eremitæ deferentes habitum Minimorum excommunicationis gladio feriuntur. *ibid. num. 6. & seq.*

54. Præpositus Generalis præclaræ Societatis JESU facultatem suis religiosis, etiam solemniter professis, concedere potest transeundi ad quaslibet religiones, & huic soli id specialiter concessum est. *ibid. n. 16.*

55. Religiosus mendicans excommunicatione ligatur transeundo ad non mendicantes, etiam si religio ipsius instituta fuerit post legem hujusmodi transitum prohibentem. Ejectus tamen in perpetuum, & habitu privatus, à religione mendicantium transire potest ad non mendicantes, quia verosimile non est Summum Pontificem velle viam ad perfectiorem statum excludere *ibid. n. 18. & 19.*

56. Religiosus invalide professus non tenetur ex vi professionis regulam aut vota servare, sed intra quinquennium tenetur reclamare, aut professionem ratificare, saltem dum professio irrita fuit per illius culpam. Ad validam autem professionis ratificationem requiritur novus consensus, quo religiosus sciens præcedentem professionem invalidam esse, eam approbat, volens ut ex tunc teneat & firma sit, sive approbet verbis, sive factis, sive etiam solo animi consensu, ut si actus professorum faciat intentione approbandi professionem. Ratificatio professionis non videtur exigere ad hoc ut sit valida novum consensum ex parte acceptantis. seu religionis. Ut autem religiosus invalide professus professionem ratificet, non tenetur novum peragere novitatum, si novitatus præcedens expletus fuerit. Probabileque est religiosum qui professionem ratificavit frui posse privilegii religionis, ac si ab initio valide professionem etatisset, aliis religiosis ignorantibus nullitatem professionis. *ibid. punct. 10. difficult. 1. n. 1. & seq.*

*Quibus ex causis religioso competat jus reclamandi  
contra professionem.*

57. Causæ reclamandi sunt hæ:

Defectus legitimi consensus, dum quis professionem emisit, ut si v. g. emisit per vim, aut metum gravem, aut tempore dementiæ, aut si professionem celebrauit sub conditione de futuro; hæc enim non est valida ante conditionis eventum. *ibid. difficult. 2. §. 1. n. 1. & seq. Item*

58. Defectus integri novitiatus, ut dum professio celebrata est nondum præmissio integro & continuo novitiatus anno: annus autem novitiatus sufficere videtur ad professionem, etiamsi novitiatus eo expleto exierit, & postea iterum admissus fuerit absque alio novitiatu. Novitiatus hoc tempore peragi debet in habitu religionis, & in legitima ætate, id est in pubertate completa. *ibid. §. 1. & seq. Item*

59. Defectus legitimæ ætatis: legitima autem ætas in religione tam virorum quam mulierum, est annus decimus sextus completus ex Trident. *sess. 25. cap. 15. de regul. Biflexii* dies computandus videtur in legitima ætate ad professionem requisita. Ætas computanda est à die nativitatis, non autem à die conceptionis, licet multi contrarium sentiant, saltem dum favorabile est prædici ita computari. *ibid. §. 3. n. 1. & seq.*

60. Defectus sui juris, ut dum v. g. quis seipsum alteri seu religioni valide tradere non potest: talis est vir conjugatus, aut servus, qui invita conjugæ aut domino religioni se obstringere nequit, nisi forte conjugatus perpetui divortii causam habeat. *ibid. §. 4. Item*

71. Defectus legitimi sexus: ut si femina in religione virorum, aut vir in religione monialium professionem emisit, huiusmodi enim professio irrita est. Hermaphroditus potest contra professionem reclamare, etiamsi professus sit in religione virorum, & virilis sexus in eo prævaleat; quamvis enim professio valida sit, imminet nihilominus maximum scandali periculum. *ibid. §. 5.* Denique ultima causa reclamandi, est

62. Defectus legitimi Superioris professionem acceptantis, dum professio facta fuit illi qui eam acceptare non poterat; potestas autem admittendi jure communi, præcisè privilegii,

privilegiis, constitutionibus, & consuetudine in contrarium, pertinet ad immediatum conventus Superiorem cum consensu conventus, vel ad alium ipso directè superiorem in officio. Hinc collige, Abbatissam posse professionem monialium acceptare, Episcopum verò non posse quemquam in monasteriis exemptis propria auctoritate ad professionem admittere. *Ibid.* §. 6.

63. Professio validè acceptari potest ab excommunicato vel suspensò, nisi fortè suspensus sit à potestate admittendi ad professionem; imò professio acceptari & admitti potest per alium, quia quæ per alium facimus, per nos ipsos fieri censentur. *Ibid.* n. 7. & 8.

64. Professio irrita defectu admittentis, convalescit accedente consensu & ratihabitione illius qui potest admittere; modo nomine illius acceptata fuerit. *Ibid.* num. 9.

65. Impotentia ad servandam religionis regulam non est causa sufficiens ad reclamandum contra professionem, cum ex tali impotentia professio non reddatur irrita. *Ibid.* n. 10.

66. Reclamare intendens, non auditur dimisso habitu, quamquam is, qui dimisso habitu reclamare volebat, & ob habitus dimissionem auditus non fuit, possit postea reclamare assumpto habitu. *Ibid.* difficult. 3. n. 1. & 2.

67. Religiosus invalidè professus in foro conscientie, licitè exire potest, nisi obstat alia circumstantia, dum in foro externo nullitatem suæ professionis probare non potest. *Ibid.* n. 3.

68. Tempus intra quod reclamatio permittitur, incipit à die professionis inclusivè, usque ad quinquennium sive professio expresse sive tacitè emissa fuerit. Ita Trident. *sess.* 25 *cap.* 9 *de regular.* Hoc tempus quinquenni ad reclamandum concessum, incipit à die professionis, etiam respectu illius qui nullitatem professionis ignorabat. *Ibid.* difficult. 4. num. 1. & *seq.*

69. Impeditus ad reclamandum intra quinquennium, elapso quinquennio non potest amplius reclamare; cum Tridentinum loco citato denegeret, religiosum ultra quinquennium audiri ob pacem & tranquillitatem religionis, & ad vitandas lites. Quare vir conjugatus professus abque licentia uxoris, non potest elapso quinquennio reclamare; concedo tamen, uxorem repetere posse virum professum absque sua licentia. Similiter impedito perpetuo professionem irritante laborans, elapso quinquennio audiri potest, si manife-

ste constat tale impedimentum adesse. *Ibid. num. 4.*  
 70. Religiosus reclamans contra professionem validam, sciens validam, sed falsis testibus probans invalidam esse, & ob id resiliens a religione, graviter peccat, & poenas Apostatarum incurrit; talisque vere est apostata; discedit enim absque debita licentia a religione animo ad illam non redeundi, quod si reclamet contra professionem invalidam, mortaliter non peccat. *Ibid. difficult. 5. num. 1. & 2.*

71. Susceptio sacrorum ordinum non sufficienter indicat religiosum tacite ratificasse professionem. *Ibid. n. 3.*

## A D D I T I O.

Ære alieno supra facultates obstructus, etsi olim ingredi poterat religionem, & sic quasi cedere bonis, nunc tamen non potest admitti, nisi prius satisfaciatur creditoribus, ex nova Constitut. Sixti V. addita moderatione Gregor. XIV.

Novitius non tenetur ad præcepta religionis, nec egredias ad expensas, *Syl. Religiosus 5. n. 6.*

Dum quis est in religione, non tenetur ad vota antea facta, nec ad juramenta, quæ sunt Religioni incompatibilia, nec ad poenitentias injunctas, *vid. gl. 33. q. 2. admoneo.*

Professus celato morbo contagioso, expelli potest a religione. *Nav. conf. 40. de reg. 35.*

Religiosus beneficiarius potest de fructibus disponere, et secularis, & Ecclesiæ suæ acquirit, non monasterio: secundum Navar. idemque censet de Abbate & Priore, esse enim Abbatiam & prioratum beneficia Ecclesiastica. *Emm. Saporat, hos non posse plus, quam regula eis permittit. Navar. de reddit. Eccles. q. 1. mon. 8. vid. Mol. dist. 276. n. 5. 6. Less. l. c. du. 11.*

Religiosus potest appellare à sententia injusta superioris potest & agere contra superiorem, in utilitatem monasterii. *vid. c. ex parte. de accus. & cum delicta. de rescrip. Appellare. Thom. 2. q. 69. art. 3. vid. Sal. q. cit. & art. 10.*

## A D D I T I O.

## Reliquia.

Vide etiam *Oratio, Processio.*

Coli possunt privata rel. quæ ejus, qui creditur esse in celo. *De cultu reliquiarum, vid. Azor. l. 9. c. 8.*

*Reliquiæ, Repressalia.*

§§§

Reliquiæ collo suspensæ de ferri possunt, D. Thom. 2. 2. q. 69. ar. 4. ad 3. D. Anton. 3. p. titul 12. c. 8. Syl. Fum. *vers. reli-*  
*quis Navar. cap. 11. num. 35.* Azor. l. c. quest. 6. contra Ang.  
*vers. reliq. 4.*

De cereis formis, quas Agnus Dei appellant: vid. Azor. l. c.  
cap. 6. Staph cum litteris gratiæ, *lib. 1. c. 25. num. 10.* Graff. l. 2. c.  
2. n. 11.

A D D I T I O.

*Repressalia,*

Licent repressalia eo modo, quo bellum, scil. auctoritate  
sui principis, & altero principe, scilicet ejus qui læsit, monito,  
ut curet satisfieri, quod si non fit, potest læsus etiam ab inno-  
centibus accipere, si aliter sua recuperare non potest, vid. Syl.  
*ibid. vers. num. 2.*

Repressalia non possunt fieri in persona Ecclesiastica, vid.  
*de injur. l. 6. Cajet. eodem vers. Sylv. l. c. num. 8.*

*Residentia,*

Vide v. *Beneficiarius.*

1. Residentia est persistencia in loco, in quo quis habet be-  
neficium, consequenter ille dicitur non residere qui non ha-  
bitat in loco beneficii, vel ab eo longe distat. *tom. 1. de onere &*  
*obligatione beneficiariorum ad residendum, disp. 5. punct. 1. n. 1.*

2. Parochus dicitur residere, si sit extra fines parochiæ, e-  
tiam si non multum distet ab ea? Resp. non dici residere, si ita  
distet ut facilis ad ipsum aditus parochianis non pateat: hic es-  
t enim neque corpore, neque effectu, ob quem injunctum & in-  
ventum est residentia munus, residere dicitur: secus si ad eum  
locum divertat, in quo parochiani facile queant ad Parochum  
recurere pro sublevanda spiritali necessitate & sacramentis  
fulcipiendis; quia hujusmodi absentia non adversatur fini,  
quem residentia respicit. *Ibid. num. 2.*

3. Quid verò dicendum de eo, qui aliquibus diebus ex-  
tra parochiæ ambitum se conferat? Dicendum eum non pecca-  
re contra residentiam, etiam si hoc faciat recreationis causa,  
modo nullum sublit spiritali subditorum detrimentum. *I-*  
*bid. num. 5.*

M m 6

4. O.

4. Omnes & singuli beneficiarii qui onus per seipfos in loco beneficii exercere debent, ad residentiam obligantur. Tales sunt habentes Parochiales Ecclesias, aut etiam Canonatus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis. Neque sufficit residere, sed omnis Parochus existens in parochia, debet munus parochiale exercere: nec satisfaciunt curatores animarum muneri suo, seu præcepto residendi, substituendo alios, qui munus curatoris sustineant, quamquam Parochus licetum est aliquando uti alterius Sacerdotis opera in animarum cura administranda, ut in confessionibus excipiendis, &c. Concedendum etiam habentem Ecclesiam parochialem in qua Vicarium perpetuum legitime institui obtinuit, non teneri eo vivente residere, modo tota cura animarum translata sit in coadjutorem, abdicata à Parochi administratione *Ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

5. Parochus residens in parochia, sed omnia munera parochiale exercens, potestne percipere fructus beneficii, & illos retinere? Respond. probabile esse huiusmodi Parochum posse fructus percipere & retinere, quoties ita per Capellanum deservit, ut oves nullum grave detrimentum inde ferant. *Ibid. n. 6.*

6. Peccatne Parochus absens à sua parochia per bimestre in anno sine licentia? Resp. non debere quidem sine licentia recedere, non tamen mortaliter peccare si recedat ex legitima causa, & sine ovium damno, sufficiensque in sui locum alium idoneum ministrum. *Ibid. punct. 3. num. 6.*

7. Episcopus valide prohibere potest Parochis ne absint à sua parochia ultra duos dies sine licentia; quia residentia est materia præcepti, non potest tamen ratione etiam longioris absentiae censuram infligere. *Ibid. num. 8.*

8. Canonicus qui certis solum hebdomadis tenetur choro interesse, non graviter delinquit, si in loco beneficii non restet illis hebdomadis quibus divino officio assistere non tenetur: nam cessante sine residentiae, cessat residentiae obligatio. *Ibid. num. 12.*

9. Beneficiarius non residens dum residere tenetur, præter culpam, potest incurrere alias poenas non residendo, quas ordinarius loci pro qualitate contumaciae & inobedientiae non residentibus incurrendas injunxerit, juxta facultatem sibi collatam in Trident. *sess. 23. cap. 1. de reform.* nisi aliud illum excuset. Et præter alias poenas incurrit etiam ante ullam iudicis sententiam, privationem fructuum pro rata absentiae. *Hinc*



fit ut coadjutor in cura animarum, assignata illi certa fructuum quantitate, non possit illos percipere, nisi resideat; secus dicendum de Parocho absente etiam sine licentia Episcopi per modicum tempus, id est, per bimestre. *Ibid. punct. 4. n. 2. & seq.*

10. Parocho habenti justam causam absentiae non sufficit petisse licentiam, etsi eam non obtinuerit, quia Concilium requirit licentiam expressam. *Ibid. n. 13.*

11. Si Abbates, Priores, & Superiores regularium ultra bimestre non resideant, non tenentur ad restitutionem fructuum, si suum munus sufficienter per alium suppleant. *Ib. n. 4.*

12. Quæres, an alii beneficiarii non residentes, possint retinere fructus beneficii pro rata temporis quo non inserviunt. Respond. posse, si per alium deserviant: nam qui per alium facit, per seipsum facere censetur, nec ulli damnum hoc pacto infert. *Id. n. 15.*

13. Parochus justè abesse potest à parochia ob inimicitias graves, ob pestem vel morbum non perpetuum, ob litem moram super suo beneficio, & ex privilegio Summi Pontificis, cum licentia Episcopi, & alio in sui locum suscepto, quæ vices Parochi gerat Consuetudo, etiam immemorabilis, non excusat absentem; secus si absit ad dirimendas controversias, vel ob alia opera charitatis proximi, vel ad inserviendum Papæ ob utilitatem Ecclesiæ; propterea Cardinales Papæ assistentes excusantur à sua residentia. *Ib. punct. 5. num. 2. & seq.*

14. Officium Inquisitoris vel Subcollectoris non excusat à residentia beneficii parochialis; neque potest Episcopus uti opera Parochi in visitatione ultra duos menses in Concilio Tridentino concessos, excepta gravi causa; secus dicendum de Canonico, qui de licentia Episcopi abesse potest in visitanda diœcesi & aliis Ecclesiæ servitiis. *Ibid. num. 11. 13. & 14.*

15. Excusatur à residentia qui ex justa & honesta consuetudine non residet, ubi Tridentinum non est acceptatum, sicut & excusari potest qui ad quinque annos Theologiam aut jus Canonicum in universitate audit, vel docet cum licentia Episcopi obrepta in scriptis saltem respectu parochiæ curatoris animarum. *Ibid. num. 15. & seq.*

## A D D I T I O.

De residentia, vid. Nav. lib. 3. cons. de cler. non resid. & in Man. 625. n. 121. Sot. lib. 10. q. 2.

Re.

Residere censetur, qui abest propter Ecclesie suae negotia  
*e. ex part. de cler. non resid. Syl. l. c. 9. 7.*

Potest Episcopus abesse ob suae, vel universalis Ecclesie  
necessitatem, & ut alienae succurrat, modo sine suae detrimen-  
to, vid. *Trid. l. c. num. 3. Nav. l. c.*

Qui non residet, tenetur per alium tot Missas dicere, at  
quot residens tenebatur.

Excusat in collegiatis non insignibus à non residentia  
consuetudo immemorabilis, & redditus tenues, qui Canonice  
alere non possunt. *Ex congr. Cont.*

*Resignatio beneficii.*

Vide v. *Simoniam.*

## A D D I T I O.

*Respublica.*

Prohibita universitate, non censentur prohibiti singuli, nec  
pactum inter regem & communitatem obligat singulos  
communitatis.

Respublica potest pro bono communi rem unius alteri da-  
re. Unde non facile damnanda statuta, quae videntur iniqua  
aut usuraria, ut monet Cajet. vid. quae de re simili scribit. *Syl-  
vestr. a. 1. num. 30.*

Reip. impuratur, quod facit princeps, unde ob hujus pec-  
catum interdum punitur.

*Restitutio.*

Vide v. *Alienatio, Contractus, Furtum, Homicidium, Pro-  
scriptio.*

1. Restitutio est actus iustitiae commutativae, quo res acce-  
pta restituitur, vel damnum illatum compensatur ei cui de-  
betur: deo vocatur repositio seu constitutio in pristino statu.  
Duplex est iustitia, commutativa seu particularis, cujus vio-  
latio cum damno alterius semper obligat ad restitutionem, &  
generalis seu legalis, quae non obligat, nisi quando eam vio-  
lans tenetur ex officio conservare bonum commune, ut acci-  
dit

dit, quando iudex non impedit factum, quod ex iustitia tene-  
tur impedire. *tom. 2. de resti. uti in genere, disp. 1. q. 1. n. 1. & 2.*

2. Quare, an reus qui veritatem in iudicio negavit, teneatur solvere poenam ad quam fuisset condemnatus, si veritatem confessus fuisset? Respond. non teneri, quia non violavit iustitiam commutativam per ordinem ad illum, cui erat applicanda poena; sed violavit tantum iustitiam publicam. *Ibid. n. 4.*

3. Rursus, iustitia alia est commutativa, cujus munus est restituere rem ipsam quæ debetur ad æqualitatem, non respiciendo merita personæ, sed æqualitatem rei quæ debetur; quare si accepisti furto decem, decem etiam restituere teneris; alia verò distributiva, cujus munus consistit in conferendis præmiis, dignitatibus, officiis, &c. juxta qualitatem & merita personarum: quare viro nobili vel docto majores dignitates ac præmia debentur, quam ignobili vel indocto. Et qui curam habet bona communia aut spolia distribuendi juxta personarum dignitatem tenetur ad restitutionem, si juxta personarum dignitatem illa non distribuat. Idem dic de eo qui bona accepit distribuenda studiosis alicujus Collegii, vel pauperibus communitatis, si ea juxta præscriptum non distribuat videlicet juxta illorum majorem eruditionem, vel inopiam. Item Prælati conferens in concursu beneficium digno, relicto digniore competitore qui habet strictum jus ut sibi conferatur, tenetur etiam ad restitutionem. *Ibid. num. 8. & seq.*

4. Restitutio in eo differt à satisfactione, quod omnis restitutio est satisfactio, non è contra; & quod restitutio fieri solet pro damno illato, vel re alterius; satisfactio autem exhibetur, etiam si nullum damnum illatum sit. *Ibid. num. 17.*

5. Restitutio non est necessaria ad salutem necessitate mediæ, sed tantum necessitate præcepti; quia fieri potest ut salus aliquando obtineatur prætermissa restitutione ob justam aliquam causam. Præceptum restitutionis obligat sub mortali, nisi parvitas materiæ excuset; estque in se formaliter præceptum affirmativum, obligans ad actum positivum restitutionis, quamdiu perseverat inæqualitas, & alter non obtinuit rem tibi debitam. *Ibid. punct. 2. n. 2. & seq.*

6. Ex solo delicto contra iustitiam, non verò contra alias virtutes oritur obligatio restituendi, quia per violationem iustitiæ auferitur alienum, quod unicuique debetur ad æqualitatem, hoc autem non accidit in aliis virtutibus, ut in pietate, religione, & aliis; unde qui noluit in necessitate succurrere in-  
di-

digenti, ad cuius necessitatem sublevandam non tenebatur ex iustitia, sed ex charitate, non tenetur ad restitutionem. *Ibid. punct. 3. §. unic. n. 2 & 3.*

7. Non solum ex peccato mortali contra iustitiam, sed etiam ex peccato veniali confurgit obligatio restituendi, aliqui sequeretur, eum qui paulatim magnam abstulit quantitatem, non teneri ad restitutionem, quod est falsum. Quod si nulla culpa commissa sit in damno, licet gravi inferendo, nulla extat obligatio restituendi. Idem dicendum quando damnum illatum est cum ignorantia comitante, etiamsi illatum fuerit operam dando rei illicitæ. *Ibid. num. 5. & seq.*

8. Adverte, rem levem posse esse aliquando culpam venialem in damno inferendo, ut vix adsit obligatio ad centesimam partem damni restituendam; & ex opposito posse esse aliquando tam gravem esse culpam venialem, ut obliget ad decimam partem; unde fit, ut in restitutione in foro conscientie habenda sit ratio culpæ & delicti. *Ibid. num. 9.*

9. Ad restitutionem tenetur quis ex triplici capite: ex bona fide accepta, ex contractu, & ex injusta acceptione, vel damnificatione. Dicitur *ex re bona fide accepta*, qui rem alienam bona fide possidet, id est retinuit per ignorantiam innocibilem seu probabilem, credens esse suam, tenetur ex iustitia restituere statim ac cognoscit esse alienam. Neque is qui possidet bona fide rem alienam, quam bona fide emissa fuit, potest à domino, cui rem illam restituit, exigere pretium quod ipse solvit, quia æquum non est, ut dominus rem suam emissa, si renuat rem prædictam domino tradere absque pretio, sit possessor malæ fidei. *Ibid. quest. 2. punct. 1. num. 3 & 4.*

10. Qui alienavit vel consumpsit rem alienam bona fide credens esse suam, non tenetur ad restitutionem, nisi in aliqua re factus sit locupletior; ille autem censetur factus locupletior qui cessante bona fide cognoscit se occasione rei alienæ factum esse locupletiozem; ut si cognoscat se non fecisse aliquos sumptos, quos alioquin ex re sua fecisset, aut si aliquid habeat, quod alioquin non habuisset. Ex quibus habes eum non teneri ad restitutionem, cui res aliena perit casu, aut etiam propria culpa, modò perierit tunc temporis quo ipse rem bona fide possidebat credens suam esse. Item neque eum, qui rem alienam bona fide emit, quam postea vendidit æquali, vel minori pretio; secus dicendum, si majori pretio vendidit; tuac enim tenetur restituere incrementum pretii. Item restitu-

Restitutio non est facienda ab eo, qui rem alienam bona fide alteri donavit, cujus similem vel dissimilem non donasset, si rem illam non habuisset: non enim censetur ditior factus in ulla re. Item concedens bona fide rem furtivam apud amicum, tenetur tantum ad restitutionem illius in quo rei suæ pepercit. Et qui apud amicum bona fide comedit rem furtivam valentem triginta asses, sed domi suæ comedisset res valentes quadraginta, tenetur solum restituere triginta. Et qui vestem alienam bona fide consumpsit, vel ea usus est, tenetur comparante domino restituere vestem si adhuc extet, vel valorem illius vestis consumptæ, si aliàs vestem æqualis valoris consumpsisset. Item qui bona fide possidens hereditatem, majores fecit expensas, quam fecisset, si credidisset hereditatem ad se non pertinere, potest in restitutione hereditatis detrahere expensas, quas alioquin non fecisset, *Ibid. num. 5. & seq.*

11. Qui rem alienam bona fide accepit, & postea dubitare incepit alienam esse, potest eam sibi retinere, aut consumere, aut vendere, si postea sufficienti inquisitione non comperit alienam esse; debet tamen paratus esse restituere id in quo factus fuerit ditior, comparante domino. Quod si hujusmodi possessor bonæ fidei negligat inquirere & indagare veritatem & impotens factus sit ad eam sciendam, adhuc non tenetur ad restitutionem, quia melior est conditio possidentis, quam vis multi velint teneri restituere illi, cujus rem esse dubitat, certum tamen est eum peccasse negligendo inquisitionem veritatis. *Ibid. punct. 2. nu. 4. & seq.*

12. Petes, an qui rem aliquam bona fide possidet, & postea dubitat rem esse alienam, possit ea uti, interea dum adhibet diligentiam ad inquirendum dominum. Respondi si res de qua dubitatur consumitur ipso usu, ut est, triticum, &c. aut deterior efficitur, non potest illa uti; quia exponeret se periculo illam consumendi, aut deteriores efficiendi invito domino. *Ibid. n. 9.*

13. Qui rem aliquam abstulit possessori bonæ fidei, dubitans vel opinans suam esse, tenetur ad integram restitutionem, tamquam possessor malæ fidei, quia cum in dubio melior sit conditio possidentis bona fide, non potest alium spoliare sua possessione, nisi certo sibi constet rem suam esse: secus dicendum de eo, qui rem aliquam incepit occupare, cum nondum ab alio possideretur; dubitans enim suam esse vel alienam, non potest totam rem, sed solum illius partem pro-

quantitate dubii sibi retinere; quia cum non inceperit bona fide possidere, non est potior illius quam alterius conditio. Et qui præoccupat rem à nullo possessam, tenetur comperito domino restituere, non solum rem ipsam, verum etiam fructus, nam res domino fructificat. *ib. n. 15. 16. & 17.*

14. Non solum in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum posita sufficienti diligentia ad veritatem assequendam, valet illa regula: *Melior est conditio possidentis*; unde dubitans an tale jus extet, vel an aliquid includatur sub tali præcepto, non tenetur illud præceptum servare, sicut neque vorum, quando æquibet dubitat an illud emiseric. Idem dubitans an promiserit matrimonium, vel an voluerit se obligare, vel an haberet sufficiens iudicium, vel an adsit causa excusans ab obligatione, vel an lex sit abrogata consuetudine, vel an sit acceptata, non tenetur promissionem adimplere, cum de ea dubitetur, & in dubio melior sit conditio possidentis. Et qui vorit in dubio, tenetur solum ad id quod est minus: & qui commisit adulterium, sed dubitat an proles suscepta, sit propria, vel mariti adulteræ, potest credere prolem esse mariti adulteræ, consequenter non tenetur ad restitutionem. *ibid. n. 1. & seq.*

15. Idem dubitans se esse legitimum, potest cum aliis fratribus paternam hereditatem dividere, facta prius diligentia ad veritatem assequendam, quia possessio illi favet, & melior est conditio possidentis. *ibid. n. 12.*

16. Petes, an qui aliqua ratione cooperatus est ad damnum, teneatur ad restitutionem. Resp. teneri ad restitutionem eum, qui non solum aliqua actione positiva efficaciter concurrat ad actionem injustam & damnum alterius, sed etiam qui negativè cooperatur non loquendo, non obstando, vel non manifestando, quando tenetur ex iustitia loqui, vel obstando, vel manifestare. Novem autem sunt genera personarum cooperationis ad damnum alterius, quæ his duobus versibus capiuntur.

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstando, non manifestans.*

Sex prioribus verbis significatur actio positiva, tribus verbis posteroribus ostenditur cooperatio indirecta. *ibid. parat. n. 1. & seq.*

17. Adverte eum non solum teneri ad restitutionem, qui damnum alteri intulit factis, sed etiam eum qui suis verbis alterum damnificavit, imponendo v. g. falsum crimen alteri, aut etiam verum, sed occultum, quod juridicè probari non potest. Similiter ille tenetur ad restitutionem, qui infert alicui damnum, quod alter intulisset; nam ipse proximè & realiter influit in damnum, consequenter in se transfundit obligationem, quam alter subisset: secus dicendum de eo, qui parato hodie occidere, suadet occidere altera die, vel in alio loco, ubi sit minus scandalum *ib. n. 5. & seq.*

18. Restitutio non est facienda ab eo, qui non est causa sed occasio damni; propterea qui alapa alterum percussit, percussus verò ægrè ferens alapam, ob impatientiam lapsus est in morbum, ex quo mortuus est, non tenetur ad restitutionem, quia impingens non tenetur causa efficax mortis, cum mors non sequatur ex vi hujus actionis injustæ, sed potius ex impatientia percussi, *ibid. num. 11. & 12.*

19. Dubitans an sua actione vel omissione efficaciter cooperatus sit ad damnum alterius, v. g. homicidium, vel furtum, non tenetur ad restitutionem: hinc sequitur eum quoque non teneri ad restitutionem, qui dubitat utrum depositum vel commodatum sua culpa penerit. Idem dicendum de eo, qui dedit alteri consilium occidendi inimicum, sed postea dubitat an ille, cui dedit consilium, verè commiserit homicidium, vel an suo consilio cooperatus sit ad illud; hic enim non tenetur ad restitutionem, quia possessio stat pro ipsius libertate. *ibid. punct. 4. num. 1. & seq.*

20. Quod faciendum, quando constat aliquem ex quatuor, damnum intulisse absque mutuo consensu vel consilio, sed dubitatur quisnam illorum damnum intulerit? Tali casu videtur obligandus unusquisque ad restitutionem ad ratam dubii majores vel minoris *ib. n. 3.*

21. Infeas damnum consentienti absolute & simpliciter, id est absque ullo involuntario admixto, non tenetur ad restitutionem, quia volenti & scienti non fit injuria: potest tamen fieri injuria aliis, quorum juri cedere non potest qui consentit. *ibid. punct. 5. num. 1.*

22. Qui iussit vel mandavit damnum aliquod fieri, sed postea tacite vel expresse mandatum revocavit, non tenetur ad restitutionem damni secuti per mandatarium; modo mandati revocatio innotuerit ipsi mandatario. Quare Titius non te-

netur ad restitutionem, quando mandavit Caio ut occideret inimicum ipsius Titii, sed Caius illum occidit postquam cognovit initam esse pacem inter Titium & inimicum. Quod si revocatio mandati non innotuerit mandatario, mandator tenetur ad restitutionem damnorum, nam suo mandato censetur adhuc causa efficax damni, & non censetur sufficienter revocasse influxum antea præstitum. *Ib. punct. 6. n. 3. & seq.*

23. Petes, quid sit mandatum? Est contractus, quo quis officium honestum gratuito, expressè, vel tacitè suscipit exequendum in gratiam alterius. Dicitur *quo quis officium honestum*, quia mandatum debet esse de re bona & honesta, nam si sit de re illicita, non est validum *Ibid. num. 9. & 10.*

24. Ille qui iussus vel rogatus ab alio, ut rem aliquam emerret, quam cum posset ab uno emere pro triginta quæsitivum a quo eam pro viginti emit, non potest sibi decem quibus minoris emit, retinere. Et hoc verum est, etiam si venditor dixerit illi, se gratia illius viliori pretio vendere, quam soleat aliis; quia mandatarius debet utiliter gerere negotium mandatoris, & mandatum semper intelligitur, ut mandatarius minoris emit, quantum potest. Propterea factores tenentur ad restitutionem, quando non gerunt fideliter officium sibi commissum in emendis mercibus pro vestibus conficiendis. *Ibid. num. 14. & seq.*

25. Ille tamen qui rem aliquam accepit vendendam tanto pretio, eamque sibi pretio constituto accepit, & postea vendidit majori pretio, potest excessum sibi retinere, quia rem illam vendidit proprio nomine. *Ib. n. 17.*

26. Quando mandatarius mandatum accepit absque ulla forma expressa, debet prudenter, diligenter & rationabiliter negotia præstare; quæ si hoc modo præstiterit, valida erunt, & rata habenda à mandatore. *Ibid. num. 20.*

27. Consulens, id est, qui consilium præbet, hortatur, rogat vel instruit, tenetur ad restitutionem damni suo consilio illati; etiam si post damnum illatum admonuerit causam exequentem ut restitueret, sed re ipsa nondum restituit. Imò consulens tenetur ad restitutionem damni ex suo consilio secuti, quamvis ante factum conatus fuerit consilium revocare, nisi forte consilium fuerit falsum, quia censetur adhuc causa efficax damni, diciturque influxisse in damnum. Idem dicendum, etiam si consulat aliquod damnum quod nihilominus alter consulisset; nam obligatio quam alter subisset, transfunditur



per ipsum ratione damni secuti. At non tenetur ad restitutionem, qui suo consilio, vel alia ratione fuit causa minoris damni quam alioquin fuisset illatum, quia hoc non est confutere malum, sed electionem minoris mali. Idem valet in ferente opem ad minus malum, modò tamen non ferat opem in actione extrinsecè mala, & non possit alia ratione delinquentem retrahere à majori delicto: hinc sequitur eum, qui alicui domino parato ad adulterandum, suadet, ut simplicem potius fornicationem committat, non peccare, quando non potest aliter eum retrahere ab adulterio. *Ib punct. 7. n. 2. & seq.*

28. Qui est causa majoris damni quam alioquin secutum fuisset, tenetur ad restitutionem, non quidem totius damni, sed illius tantùm excessus cujus ipse fuit causa. Ille tamen non tenebitur ad restitutionem qui furi parato surripere duobus, suavit ut acciperet ab uno tantum, quia suadet minus malum parato facere majus. *Ibid. n. 12. & seq.*

29. Confessarius, vel Parochus, vel Concionator tenetur ad restitutionem damni, cujus fuit causa per ignorantiam aut negligentiam. Tenetur similiter ad restitutionem ille qui ex culpa lata, vel ex ignorantia crassa docet aliquam falsitatem in materia fidei vel morum, vel in aliqua arte aut scientia, imò tenetur se retractare & errorem revocare: secus dicendum de idiotis & imperitis hominibus danribus consilium bona fide, quamvis se sponte ingesserint ad dandum consilium, modo consilium dederint absque fraude & dolo, vel se peritros fingendo. *Ib. n. 23. & seq.*

30. Qui suo consensu, efficaciter concurrat ad damnum, tenetur ad restitutionem; propterea qui per suffragia necessaria, vel subscriptionem consentiunt, & insuunt in mortem inferendam, vel in aliud damnum proximi, tenentur ad restitutionem. Imò adhuc tenetur ad restitutionem ille, qui prior tulit suffragium, sed certo noverat alios decrevisse ferre suum suffragium in eandem partem, in quam ipse tulit suum. *Ibid. punct. 8. n. 3. & seq.*

31. Palpans, qui laudat malefactorem, eumque ad inferendum alteri damnum inducit; item receptans, qui scilicet recipit, vel fovet, vel conservat malefactorem, vel asservat prædam, vel refugium & securitatem malefactori præbet ad patrandum delictum, vel ad non restituendum, tenetur ad restitutionem; propterea non excusantur cauponarii accipientes pecunias à filiis familias, vel à servis, sive repras à patribus, vel dominis rationabiliter iniuris.

Adverte tamen recipientem furem ratione amicitiae, vel consanguinitatis, vel causa humanitatis, vel necessitatis, non teneri ad restitutionem, quia non dicitur receptor furtis mortaliter. Idem militat in abscondente delinquentem, illumque post delictum commissum adjuvante ad fugiendum, nullo modo concurrendo ad delictum. *Ibid. p. 10. num. 1. & seq.*

32. Participans in opere intrinsecè malo contra iustitiam, id est cooperans in damno alteri inferendo, ut in furando, vel in consumenda re aliena furto ablata, vel alia ratione, peccat, & tenetur ad restitutionem damni securi; nam culpabiliter influit in damnum. Secus quando intervenit metus, seu rationabilis causa; propterea excusatur à restitutione, quia metu coactus, præbet furi claves vel instrumenta, quibus confringit arcas. Similiter excusantur Christiani capti à Turcis, navigantes, seu remigantes metu mortis in turribus Turcarum contra Christianos; modò ex eorum remigatione non oritur magnum Christianæ Reipublicæ incommodum. *Ibid. p. 10. n. 3. & seq.*

33. Qui ratum habet damnum suo nomine illatum, tenetur ad restitutionem? Respondetur negativè, quia non dicitur participare in damno alterius, cum ratihabito sit tempore posterior damnificatione, quamvis ratificans graviter peccet contra charitatem. *Ibid. num. 9.*

34. Quicumque physicè vel moraliter causa est totius damni, tenetur in solidum, seu in totum ad restitutionem: qui vero non est causa totius damni, sed partis tantum, non tenetur in solidum, sed solum pro sua parte, quia quilibet tenetur ad restitutionem damni eo modo quo fuit illius causa efficax: hinc fit ut is qui fuit particeps prædæ iam factæ, teneatur ad restitutionem pro ea tantum parte, quæ ei obligat, modò non fuerit particeps totius injustæ actionis; cooperando à injustam actionem. *Ibid. n. 10. & seq.*

35. Quando plures scienter ingressi sunt viscam, & singuli levem uvæ quantitatem acceperunt, quæ simul sumpta est notabilis, singuli peccant mortaliter, suntque restitutioni obnoxii, quia singuli concurrunt ad damnum notabile. Item tenentur ad restitutionem comitantes furem, ostendentes iter custodientes sarcinas, tenentes scatas sine iusto metu, vel excubias agentes dum fur delictum committit. *Ibid. num. 15. & 17.*

36. Mutus non obstitans, vel non manifestans, qui sine iusta

causa non clamat, non impedit, vel non manifestat, cum teneatur ex iustitia ratione officii, vel contractus clamare, impedire vel manifestare, obligatur in solidum ad restitutionem damni secuti; nam sic censetur causa damni, sicut censetur qui positivè influit in damnum: quare Principes, pastores, belli Duces, alique publicam potestatem habentes, tenentur ad restitutionem non impediendo furta, vel alia damna suorum, subditorum, quæ tenentur impedire ex officio, modò id fieri possit sine illorum majori damno vitæ, honoris, famæ, vel rei familiaris, non enim tenentur cum tanto dispendio, nisi forte inde gravia damna, præsertim spiritualia, Reip. imminant. *Ibid. punct. 11. n. 2. & seqq.*

37. An teneatur ad restitutionem ille qui interrogatus à vicino, cui bona furto sublata fuerunt, an fures viderit, vel audierit, respondet nec vidisse, nec audivisse? Resp. non teneri, quia non teneretur ex iustitia, vel officio. Et hoc valet, etiamsi id faciat ex pravo animo. *Ibid. num. 8.*

38. Quæres, an Confessarii teneantur ad restitutionem, quando iua culpa vel malitia non admonent, vel non cogunt poenitentem ad restitutionem faciendam, quam poenitens fecisset, si Confessarius illam injunxisset, vel absolutionem denegasset? Resp. videri non teneri, modò Confessarii ommissio & negligentia non habeat rationem consilii. *Ibid. nu. 15.*

39. Qui sine vi & fraude impedit alium, ne consequatur aliquod bonum, quod ei non debetur ex iustitia, non tenetur ad restitutionem, etiamsi impediatur animo nocendi: secus dicendum de illo, qui impedit alteram à consecutione alicujus boni, quod ei debetur ex iustitia, etiamsi impediatur sine vi, aut fraude; nam violat jus quod alter habet, ut sibi bonum conferretur. *Ibid. punct. 12. num. 2. & 3.*

40. Qui donationem nondum acceptatam curavit rescindi sine vi & fraude, aut impedivit ne Cajus institueret Titium heredem, vel curavit testamentum mutari, vel impedivit aliquem ne faceret testamentum, vel ne mutaret jam factum, non tenetur ad restitutionem, modò nulla vis aut fraus intercesserit. Idem dicendum de impediente dignum à hereditatis consecutione, ut daretur digniori, non enim violavit jus dignioris non haberet jus ut præferretur digniori. *Ib. n. 4. & seq.*

41. Teneretur ad restitutionem, qui per mendacium (mendacium enim est fraus) impedivit Cajum, ne faceret elemosinam pauperi, dicendo illum non esse pauperem, cum revera egestate laboraret. *Ib. n. 11.*

42. Furtinetur ad restitutionem rei acceptæ si extat, siue res melior vel deterior effecta sit, siue permanerit in eodem statu, compensato tamen reliquo damno; quia dominus non amisit dominium rei suæ extantis. Quod si res aliena cum propriis rebus ita commixta est, ut discerni nequeat, aut separari, non erit restituenda res illa individua, sed æqualis tantum *Ibid. q. 3. punct. 1. n. 4. & 5.*

43. Tantum restituendum est, quantum sufficit ad faciendam æqualitatem debiti, vel damni illati, ita ut si quantitas debiti vel damni sit certa, tantumdem restituatur: si verò sit incerta, tantum restituatur, quantum vir prudens iudicaverit, consideratis circumstantiis loci, temporis & personæ, habitaque ratione lucri cessantis & damni emergentis. Hinc sequitur, eum qui conculcavit segetes antequam ad maturitatem pervenirent, aut arbores adhuc teneras incidit, teneri arbitrio prudentis restituere, non solum quanti res valebat tunc creditori, sed etiam quanti valuisset tempore messis, deductis expensis & laboribus, habitaque ratione periculi, ratione cuius fieri poterat ut per cœli injurias, aut per alios casus fortuitos non pervenissent ad maturitatem *Ib. n. 8 & seq.*

44. Debitorum nobiles aut alii qui constituto termino non solvunt pretium mercium creditò emptarum, & multo tempore differunt solutionem mercatoribus debitam, tenentur in conscientia restituere lucrum cessans mercatoribus, si constet re vera illis lucrum cessasse ob dilatam solutionem, tunc enim fuerunt causa injusta damni. *Ib. n. 12 & 13.*

45. Accepta pro faciendo opere licito debito ex alio precepto quàm justitiæ, non sunt obnoxia restitutioni; quia ex violatione solius justitiæ oritur obligatio restituendi; in hoc autem casu non violatur justitia. *Ib. punct. 2. n. 1.*

46. Similiter non est obligatio restituendi acceptum pro abstinendo ab opere illicito, à quo abstinendum erat ex alia virtute quàm justitiæ. Unde accipiens pecuniam ne blasphemet, aut ne fornicetur cum publica meretrice, &c. non tenetur acceptum restituere; secus dicendum, quando accipitur aliquid pro omittendo opere, v. g. detractione quod ex justitia omittendum erat *Ib. n. 3. & seq.*

47. Pro opere illicito patrando, seu pro turpi causa nihil dari vel accipi potest ante factum, quilibet enim tenetur abstinere à malo opere patrando: secus dicendum de opere illicito patrato contra justitiam, modò solutio non sit iniqua, ex. gr. simo-

simoniaca : hac de causa qui pro copula promisit pretium alicui feminæ, tenetur secuta copula illud persolvere, quia femina locavit corpus suum alteri, ex quo alter percepit voluptatem pretio æstimabilem. Non desunt tamen qui hanc sententiam improbant. Bona quoque incerta acquisita ex contractu, restituenda sunt pauperibus.

Judex qui pecuniam accipit proferenda sententia injusta, non tenetur post factum ad restitutionem pecuniæ acceptæ, quatinus teneatur damna reficere parti læsæ, contra quam tulit sententiam injustam. Hæc doctrina extenditur etiam ad falsum testem. *ibid. punct. 3. nu. 2. & seq.*

48. Acquisita ob turpem causam, v. g. per simoniam, restituenda sunt, non solum ante factum, sed etiam secuto facto, quando lex efficit acquirentem incapacem domini, vel inhabilem ad rem accipiendam. *ibid. num. 11. & seq.*

49. Bona inventa, quorum dominus ignoratur, restituenda sunt pauperibus, seu capse incertorum, juxta consuetudinem & decreta locorum, modo prius adhibita fuerit sufficiens diligentia in inquirendo domino, & dominus non fuerit inventus. Nomine autem *pauperum* intellige non solum privatos mendicos, sed etiam loca pia, ut monasteria, hospitalia pauperum, Ecclesias indigentes luminaribus, ornamentis, vel similibus. Neque opus est ut hæc bona incerta pauperioribus, aut melioribus tradantur, sed sufficit si veris pauperibus distribuuntur, (præcisatamen summa & extrema necessitate,) tali enim necessitate seu paupertate laborans præferendus est jure naturæ. *ibid. punct. 4. n. 3. & seq.*

50. Bona incerta acquisita ex delicto, ut ex injusta venditione, furto, aut alia defraudatione, restituenda sunt pauperibus ex jure positivo. Dicitur *ex jure positivo*, quia jure naturæ bona incerta non debentur pauperibus. *ibid. num. 9.*

51. Qui aliquos in vini mensura aut alio simili modo defraudavit, quorum aliquos cognoscit, & alios ignorat, tenetur portionem debitam iis reservare quos novit, portionem verò debitam ignotis, tenetur infumere in pauperes, vel in alia pia opera. *ibid. n. 11.*

52. Habens bona incerta, potest ea sibi titulo paupertatis applicare de licentia Episcopi, vel Confessarii facultatem habentis applicandi, cum ipse non sit deterioris conditionis aliis pauperibus, secus si non sit pauper. *ibid. num. 13.*

53. Habens rem inventam, non tenetur illam restituere

cuiuscumque asserenti suam esse, quia non est temerè cuique credendum, sed diligentia adhibenda est, ut verus dominus inveniatur *ibid. num. 16.*

54. Pauper cui res incerta post sufficientem diligentiam applicata fuit, non tenetur domino comparenti restituere; quia pauper acquisivit dominium rei sibi traditæ; quamquam non desint, qui rem adhuc apud pauperem extantem restituendam non improbabiler asserant. *ibid. nu. 18.*

55. Tuta conscientia retineri possunt bona incerta, que per compositionem Summus Pontifex retineri concedit; credibile tamen est, si facta compositione reperitur dominus, faciendam illi esse restitutionem, cum Summus Pontifex per compositionem nulli damnum inferre intendat. *ibid. num. 21.*

56. Bona laicorum morientium ab intestato, & non habentium heredes intra decimum gradum, jure communi civili devolvuntur ad fiscum, *l. vacantia. C. de bonis vacantib.* bona verò peregrini mortui ab intestato non pertinent ad hospitem apud quem mortuus est, sed per Episcopum deficientibus heredibus distribuenda sunt in pias causas. At bona derelicta, seu ea quæ abjiciuntur intentione non amplius illa recuperandi, fiunt occupantis. Adverte ad bona derelicta non revocari ea quæ in periculo sunt ejecta è navi, causa levandæ navis, & salvandæ vitæ: unde iniqua est lex quæ sancitur ut prædicta bona sint illius ad cuius locum pervenerint. Quòd si dubitetur an bona sint derelicta, præsumendum est non esse derelicta *ibid. punct. 4. num. 4. & seq.*

57. Eripiens aliquid ex undis quod certo periturum erit, nisi ipse illud eripuisset, non potest illud ereptum sibi retinere; sicut neque oves quam eripuit è lupi faucibus. Ille tamen qui ita rem aliquam eripuit cum periculo propriæ vitæ, detrahere potest æstimationem laboris & periculi quod subivit. *ibid. num. 7. & seq.*

58. Thesaurus (seu vetus depositio pecuniæ cujus non extat memoria,) inventus in proprio fundo, totus est inventoris. Item & thesaurus in fundo alterius consentientis inventus, nisi inventor aliter convenerit cum domino fundi. Quando autem thesaurus data opera inventus est, totus pertinet ad dominum fundi, sive sit privata persona, sive civitas, sive quicumque alius *ibid. punct. 6. num. 1. & seq.*

59. Thesaurus inventus in loco sacro & religioso, ut in

Eccle-

Ecclesia, cœmeterio, platea ante Ecclesiam, &c. dividendus est inter inventorem & Prælatum aliumve cuius fuerit ille locus sacer. Quando autem thesaurus arte magica, vel alia ratione legibus prohibita inventus est, pertinet ad fiscum (saltem post sententiam iudicis,) quoad eam partem quæ alioquin esset inventoris, & hoc valet etiam si inventus sit in proprio fundo. *ibid. num. 5 & 6.*

60. Sciens in fundo alterius latere thesaurum, si fundum emat, acquiritne dominium totius thesauri? Acquirat, neque emptor tenetur indicare venditori thesaurum latere in fundo illius; aut ob id pretium fundi augere. *ibid. num. 7.*

61. Lapilli, gemmæ, ambarum, corallium, & alia hujusmodi quæ reperiuntur in littore Maris, vel in promontoriis, sunt primi occupantis, nisi aliter jure positivo decernatur: at venæ metallicæ auri, argenti, ferri, plumbi, &c. jure nature & gentium spectant ad dominum fundi; quamvis multis in locis, ut in Gallia & Hispania, aliter sancitum sit; concessumque sit ob bonum commune cuiuslibet jus effodiendi quasdam venas servato indemni domino agri. *ibid. num. 11.*  
 & 12.

62. Animalia fera, ut sunt lupi, leones, lepores, &c. quæ in nullius custodia coercentur, & naturalem habent libertatem, sunt primi occupantis. Idem dicendum est de animalibus mansuetis, v.g. gallinis, quæ facta sunt fera, & quæ iudicio prudentis viri consuetudinem amiserunt redeundi ad priorem dominum, *ibid. punct. 7. n. 3.*

63. Fera, quæ continentur in aliquo parvo loco, ut in vivariis, aut parva sylva, spectant ad dominum custodiæ; quæ autem continentur in vastis locis, ut in magna sylva aut vasta palude, sunt primi occupantis, quia in loco tam vasto videntur retinere naturalem suam libertatem *ibid. num. 9.*

64. Venatio, piscatio, & aucupium reservari & prohiberi potest à domino agri, & à Principe, non solum quando hoc necessarium est ad ipsius Principis sustentationem, sed etiam propter solam oblectationem; præsertim quando ipsius dignitati ita conducit. Verum tamen est tunc eum debere damna, quæ à feris inferuntur refarcire, & cavere ne inferantur. *ibid. num. 13.*

65. Fera meo capta instrumento & laqueo, sit mea (non autem eximentis illam è laqueo,) quando fera non se poterat inde eximere; nam sic censeor primus occupasse. Idem dic  
 de

de fera à me vulnerata, sed postea ab alio capta; nam si illa adhuc fugere poterat, non est mea, sed primi capientis, si vero fugere amplius non poterat, eamque insequor cum probabili spe & morali certitudine eam capiendi, mea est. Denique, fera illius est, per quem libertatem amittit. *ibid. n. 11.*

66. Venans aut piscans venatione aut piscatione, quæ ob bonum commune prohibita est certis anni temporibus, aut certis instrumentis, aut alia simili ratione, non tenetur ad restitutionem, (nisi fortè notabile damnum inferat communitati,) sed satisfacit solvendo pœnam contra transgressores legum sancitam, secuta iudicis sententia. *ibid. num. 17.*

67. Clericus aut alius Ecclesiasticus capiens feras liberatæ venatione, quæ ipsi est illicita & prohibita ratione decetæ status, non tenetur ad restitutionem; cum accipiat rem quæ adhuc nullius est, & jure gentium fiat primi capientis. *ibid. num. 19. & 20.*

68. Emens vel accipiens feras quæ naturalem retinent libertatem à venatore, qui eas cepit in loco prohibito, non tenetur ad restitutionem, modo non accipiat in fraudem creditorum; secus dicendum de eo qui venatur vel piscatur quando jus venandi competit alicui particulari ratione locationis vel concessionis: hic enim tenetur ad restitutionem faciendam arbitrio prudentis viri. Idem dicendum de eo qui venatur & occupat feras mansuefactas, quæ naturalem libertatem amiserunt. *ibid. num. 23. & seq.*

69. Peccat mortaliter, qui occidit aut vulnerat animal alterius, dum in suo prædio damnum infert; non enim habet jus occidendi aut vulnerandi, sed tantum exigendi satisfactionem, nisi fortè nequeat aliter damnum proprium impedit. Similiter illi tenentur ad restitutionem, qui venando canibus, equis aut pedibus suis inferunt damnum satis, vineis, aut aliis rebus. Item tenentur ad restitutionem qui ligna cædunt, vel fructus colligunt in alienis sylvis, aut in alienis pascuis sua pecora pascunt, nisi fortè sint pars communitatis cujus sunt sylvæ aut pascua. *ibid. num. 24. & seq.*

70. Insula quæ aliquando in mari nascuntur, sunt primi occupantis; quæ verò in medio fluminum nascuntur, dividendæ sunt ex æquo inter eos qui ex utraque ripa possident prædia. Quod si insula sit propinquior ripæ, sit illius cujus prædia sunt viciniora & prope ripam, Idem militat pro alveo. *ibid. num. 28. & 30.*



71. Planta quæ radices egit in solo alicujus spectat ad eum, in cujus solo radices egit: si vero radices egit partim in solo unius, partim in solo alterius, fit communis. *ibid. nu. 34.*

72. Quæ res, utrum damnum illatum per servos, vel animalia restituendum sit à domino? Respond. dominus teneatur, etiam ante judicis sententiam, ad refarciendum damnum, quod sua culpa Theologica intulerunt ipsius servi, vel animalia. *ibid. punct. 8. num. 3.*

73. An res pereat debitori, ita ut debitor teneatur ad novam restitutionem, quando res perit, vel non pervenit ad creditorem? Respond. si res quæ debetur ex delicto, casu, vel malitia nuntii à debitore electi, vel alia quavis ratione pereat, antequam perveniat ad creditorem, perit ipsi debitori; si eadem numero, si eadem versa restituenda esset; quia par non est ut creditor damnum patiatur ob alterius culpam, aut delictum. Similiter quando res non debetur ex culpa, seu delicto, nec est determinata in individuo, qualis est res mutuo accepta, si pereat vel deterior fiat, antequam perveniat ad creditorem, perit vel deterior fit debitori: quare mutuatarius tenebitur ad novam restitutionem, quando pecunia quæ creditori mittebatur pro solutione mutui, perit apud nuntium. *ibid. punct. 9. n. 3. 4. & 5.*

74. Quando autem res est incerta in individuo, & eadem numero debetur, perit creditori, si pereat absque culpa debitoris nulla præcedente injusta ipsius acceptance. Et hoc verum est etiam si nuntius electus fuerit ab ipso debitore. *ib. n. 6.*

75. Debitor non teneatur ad restitutionem novam, quando rem sibi commodatam, vel pignori datam misit domino per servum quem sæpe expertus fuerat fidelem, sed modo cum re accepta aufugit, quia res domino perit non interveniente culpa, pacto, vel mora debitoris. Non tenebitur quoque debitor ad novam restitutionem, quando convenit cum creditore de re mittenda per servum, tradito certo signo, sed si audito pacto, vel tradito sibi signo, rem à debitore accepit & aufugit. Et hoc verum est, si res debita, determinata esset in individuo, si eadem indeterminata. Limita tamen, modo debitor ipse non revelaverit signum. *ibidem num. 10. & 11.*

76. Petes, an debitor teneatur ad novam restitutionem, quando rem debitam noluit mittere per eum de quo convenerat cum creditore, sed misit per alium quem expertus fuerat

fuerat

fuerat fidelem, sed modo cum re accepta aufugit? Resp. debitor non esse liberum ab onere restitutionis, quia debitor non adhibuit sufficientem diligentiam, non enim videtur diligens, qui contra formam pacti agit. *ibid. num. 13.*

77. Possessor bonæ fidei qui rem bona fide accepit, si non fuit in mora restituendi, non tenetur ad restitutionem rei, quæ apud ipsum perit, nisi forte in aliqua re factus sit locupletior; secus dicendum de iniquo possessore qui rem iniuste accepit, vel fuit in mora restituendi; is enim tenetur ad restitutionem rei quæ apud Dominum contingenter peritura erat. Dicitur *contingenter*, quia si res certo apud dominum peritura erat absque iniusta actione, ad nihil tenetur nisi forte aliqua in re factus sit locupletior. Adverte iniquum possessorem rei alienæ non teneri ad restitutionem iuxta summum valorem & estimationem quam res habuit tempore acceptionis vel detentionis, si dominus non est passus damnum iuxta summum valorem: quia restitutio facienda est ad æqualitatem damni illati domino rei; secus dicendum quando dominus passus est damnum iuxta summum valorem, vel incrementum, etiamsi possessor iniquus inde non perceperit commodum. Ex his habes, furem accipientem vitulum qui tempore detentionis crevit in bovem, tenetur ad restitutionem ipsius bovis. detractis expensis & laboribus industriæ factis à fure, quos dominus fecisset in educando animali, ipsumque redigendo ad eum statum. Ratio est quia res domino fructificat. *ibid. punct. 10 num. 1. & 2. & punct. 11. n. 2. 4. 5. & 6.*

78. Quæres, an possessor iniquus teneatur ad restitutionem totius pretii & lucri, quo rem alienam furtivam vendidit, quam dominus non tanti vendidisset? Dicendum videtur, quando augmentum pretii fundatur tam in causa extrinseca quam intrinseca, & dominus rem suam non vendidisset tanto pretio, sed illam se vasset usque ad tempus quo pretium reidiminutum fuisset, aut illam consumpsisset eo tempore, quo non crevisset in pretio, furem non tenetur ad restituendum pretium quo rem alienam vendidit, vel quo valuit eo tempore quo eam consumpsit, sed teneri ad illud pretium restituendum, quo dominus rem suam vendidisset, vel quatenus fur censetur damnum domino intulisse. *ibid. num. 8. & 9.*

79. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus

industria perceptos ex re aliena; tenetur tamen restituere fructus tam naturales quam mixtos, tam pendentes quam perceptos, si extant. Si vero non extant, tenetur restituere id, in quo factus est ditior, deductis expensis & valore industriae. *ibid. punct. ult. §. 1. n. 3. & 7.*

80. Difficultas superest, utrum possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus naturales, vel mixtos, quando illos bona fide possedit per triennium? Ad quam difficultatem respondendum est negativè, quia res mobiles usucapiuntur triennali possessione. *ibid. num. 10* Item

81. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus quos sua negligentia non percepit: secus dicendum de possessore malæ fidei, quia tenetur ad restitutionem fructuum, quos ipse non percepit, & quos tamen dominus rei percepisset. Et hoc verum est, etiamsi rem alienam meliorem effectisset, quod tamen effecturus non fuisset verus dominus. *ibid. num. 15. & §. 2. n. 1. & 2.*

82. Possessor malæ fidei non tenetur restituere fructus, quos dominus ex re sua potuisset percipere cum turpi causa, quia jura non patrocinantur delinquentibus; secus dicendum de pretio locationis domus alienæ, quam locavit meretrici, ad meretricandum. *ibid. num. 7. & 8.*

83. Possessor malæ fidei, aliusve injustus damnificator, regulariter loquendo, tenetur illi restitutionem facere, cui rem abstulit, modo ille cui rem abstulit, habeat aliquod jus circa rem ablatam; aut illi, cui damnum intulit, si restitutio facienda est ob damnum injuste illatum; aut illi qui succedit in jura alterius cui facienda erat restitutio: sic enim servatur æqualitas, & tollitur inæqualitas: at possessor bonæ fidei, qui rem alienam bona fide accepit titulo emptionis, aut alio titulo oneroso, non tenetur postquam cognovit rem esse alienam, restituere illam domino, sed potest rescisso contractu restituere illi, à quo bona fide accepit, ut possit pretium suum recuperare. Quod si gratis accepit, tenetur comperto domino ipsi restituere, non autem furi à quo accepit. *ibidem §. 4. punct. 1. & punct. 2. n. 1. & 2.*

84. Quid faciendum, quando ego bona fide emi equum, illumque bona fide vendidi Cajo; & post venditionem cognosco equum fuisse alienum, sed non invenitur Cajus, cui ego vendidi, queritur utrum ego tenear aliquid Cajo, aut vero domino restituere? Dicendum me non teneri quidquam

quam restituere Cajo, cum is nullum reportet damnum, nec  
que domino, quia res aliena apud me non extat, nec in ali-  
quo factus sem locupletior, *ibid punct 2 n. 10.*

85. Qui restituit creditori sui creditoris, quod debet suo  
creditori; videtur satisfacere, & non teneri ad novam resti-  
tutionem, modo debitum sui creditoris sit liquidum, nec  
ipsum creditor inde damnum patiatur. *ibid, punct. 3. n. 1.*

86. Sciens aliquid ab alio injuste possideri, non potest  
auctoritate propria, aut per vim illud accipere, ut restituat  
vero domino: sicut enim illud non est licitum vero domino  
præterquam in flagranti delicto, ita multo minus poterit al-  
ter qui non est proprius dominus, hoc licite præstare. *ib. n. 3.*

*Vbi, cujus expensis, & quo tempore & ordine facienda  
sit restitutio.*

87. Quando restitutionis obligatio nascitur solum ex re  
bona fide accepta, restitutio facienda est in loco ubi res ha-  
betur tunc temporis quo cognoscitur esse aliena, nec est in-  
jungendum onus possessori bonæ fidei, ut illam mitrat do-  
mino suis expensis: quare si ego emi equum hic Parisiis, &  
postea comperio esse cujusdam Bergomensis, satisfacio re-  
stituendo equum hic Parisiis, ubi equum habeo: si vero do-  
minus est absens, re interim tuto loco conservata, admo-  
nendus est ut significet quid fieri velit de re sua, vel res ad  
ipsum mittenda erit ipsius expensis, prout magis expedire  
visum fuerit. Quando vero restitutionis obligatio nascitur  
ex injusta acceptione, facienda est restitutio expensis debi-  
toris in loco, ubi dominus rem suam possessurus erat, si res  
illi ablata non fuisset; quia ratio dicitur & suadet, ut onus im-  
ponatur debitori qui rem alienam injuste abstulit; non tene-  
bitur tamen suis expensis restitutionem facere, quando ma-  
jores expensæ faciendæ essent, quam res ipsa valeat, alioquin  
loco æqualitatis quæ servari debet, magna esset inæquali-  
tas. *ibid q. 5. punct. unic. n. 1 & seq.*

88. Quando restitutionis obligatio consurgit ex con-  
tractu, vel quasi contractu celebrato in aliquo loco certo,  
restitutio facienda est in eodem loco, in quo res accepta  
fuit, nisi aliud in contractu fuerit expressum; aliquando ta-  
men tacite censetur designatus locus is, seu domicilium, in  
quo creditor habitat. Sed quæres, cujus expensis facienda sit  
hæc

hæc restitutio? Respond. quando res accepta fuit in utilitatem debitoris, restitutio facienda est expensis debitoris: quando vero in utilitatem creditoris, res illi restituenda est suis expensis; nam ipsius negotium agitur; propterea depositum, commodatum & mutuum restituendum est in loco ubi acceptum fuit, expensis depositoris, commodatarii & mutuatarii, quandoquidem id in ipsorum commodum vergat. *ibid. n. 9. & seq.*

89. Quæres, an debitor qui non tenetur propriis expensis rem debitam restituere, teneatur eam suis expensis restituere, quando timet eas sibi non esse resarciendas à creditore? Respond. non teneri, non enim tenetur jacturam expensarum pati. *ibid. n. 8.*

90. Quicumque obstrictus est onere restituendi ratione rei acceptæ, vel injustæ acceptionis, aut detentionis, tenetur restituere statim moraliter ac commode potest, nisi dilationem obtineat à creditore, aut nisi creditor sit irrationabiliter invitus. Unde qui dum in lecto decumbit, vel existit ad mensam, recordatur se teneri ad restitutionem, non tenetur statim à mensa recedere, vel surgere è lecto, ut restitutionem faciat. *ibid. q. 6. punct. unic. n. 1 & 2.*

91. Ille tamen qui non restituit, cum possit restituere, tenetur ad restitutionem damni ex dilatione secuti, manetque in statu peccati mortalis quamdiu non restituit, nisi forte à mortali excusetur ratione parvitatæ materiæ, aut brevitatæ temporis: quod si longo tempore differat cum commode possit restituere, tot peccata committit, quot sunt actus intentionis & voluntatis non restituendi. Neque Confessarius absolvere potest pœnitentem non habentem firmum propositum restituendi quamprimum poterit, data opportunitate. Idem dicendum quando non vult restituere nisi per partes, cum possit totum restituere; aut quando scilicet Confessario promisit restituere, sed nondum restituit de facto, cum posset commode restituere, nec obtinuit dilationem à creditore. *ibid. n. 5. 6. 7. 9. 14. & seq.*

92. Inter cooperantes ad damnum ille principaliter tenetur ad restitutionem, qui præcepit damnum, modo in illud influxerit & habuerit auctoritatem supra illum cui delictum præcepit, qualis est judex respectu sibi subditi, dominus respectu servi, &c. Post causam vero præcipientem principaliter tenetur exequens qui per se ipsum physice cooperatus

est ad delictum patrandum: post causam exequentem principaliter tenetur consulens & mandans: post consulentem & mandantem, tenetur principaliter receptor: post receptatorem, principaliter tenetur non impediens & non manifestans, qui tenebatur ex officio impedire vel manifestare, vel clamare. Adverte tamen ante hos omnes prædictos eum principaliter & primo loco teneri ad restitutionem, qui rem alienam habet apud se extantem formaliter, vel in æquivalenti. *ibid. q. 8 punct. 1. num. 4. 5. 9. & 10.*

93. Causa minus principali restituente, causa principalis non tenetur quidquam restituere parti læsæ, (cum ei integre satisfactum sit à causa minus principali) verum tenetur servare indemnem causam minus principalem refarciendo quod ab ipsa fuit solutum parti læsæ. *ibid. n. 12.*

94. Similiter quando plures æqualiter tenentur restituere, sed unus integre restituit, ceteri tenentur ad restitutionem illi qui solvit; propterea una ex concausis minus principalibus restituente in defectum principalis, ceteri tenentur suam portionem illi refundere, seu refarcire ad ratam suæ cooperationis. *ibid. num. 14. & 15.*

95. Quando tres æqualiter tenentur ad restitutionem trecentorum aureorum, & unus integrè solvit, aliis duobus nolentibus restituere, sed postea alter duorum proponit restituere, satisfacitne restituendo centum illi qui integrè solvit? Non satisfacit, sed debet adhuc quinquaginta. *ibid. n. 16.*

96. Quando vero plures damnum intulerunt, & dominus condonavit causæ principali obligationem, ceteri qui fuerunt causæ minus principales liberi sunt ab onere restitutionis, secus si condonavit uni tantum ex minus principalibus. Quod si omnes æqualiter teneantur ad restitutionem, & pars læsa remittit uni obligationem, ceteri tenentur in solidum ad restituendum residuum, detracta parte quæ restituenda fuisset ab eo cui facta fuit remissio. *ibid. n. 17. & 18.*

97. Debitor qui non potest omnibus satisfacere, tenetur præferre eum, qui sibi credito vendit rem quæ adhuc extat apud ipsum debitorem, quia videtur contra rectam rationem, ut res adhuc extans apud emptorem nondum soluto pretio, tradatur potius extraneo, quam illi qui eam vendidit. Item habens multa debita, quorum aliqua sunt certa, & aliqua incerta, debet prius persolvere certa, quam incerta, si non est omnibus solvendo: ita enim dicitur ratio naturalis.

Item

item habens multa debita, quorum aliqua contracta sunt ex delicto, & aliqua ex contractu licito, & non tenetur prius persolvere contracta ex delicto quam ex contractu. *ibidem* *cap. 2. num. 8. & seq.*

98. Habens debita ex contractu oneroso, & aliqua ex contractu gratuito, tenetur prius persolvere debita ex contractu oneroso, ut si quis debeat Titio centum nummos ex contractu emptionis, & Cajo debeat centum ex promissione gratuita, tenetur in solutione facienda præferre Titium Cajo. Similiter in persolvendis debitis, prius facienda est solutio creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus, quam creditoribus personalibus hypothecam vel pignus non habentibus, qui communiter appellantur *creditoribus chirographariis*. Quando vero eadem res fuit pluribus hypothecata, sed non sufficit ad satisfaciendum omnibus, prius restitutio facienda est illi, cui prius fuit hypothecata, quia qui prior est tempore, potior est jure. Similiter quando res aliqua diversis temporibus vendita fuit multis in solidum, præferendus est primus emptor, si res nulli tradita fuit. Quod vero attinet ad creditores personales, dicendum illos habere æquale jus, consequenter nullum præferri debere, nisi forte unus petat ante alium, aut sit in extrema necessitate, nam tunc debitor tenetur prius petenti solvere. Non peccat autem creditor curando ut sibi fiat solutio ante alios, utitur enim jure suo, & nihil accipit alienum: secus dicendum de debitore, qui propria sponte tradit solutionem uni creditori, ut illi rem gratam faciat, peccat enim, cum sciat se impotentem reddi ad satisfaciendum omnibus creditoribus. *ibid. num. 12. & seq.*

99. Quando bona hereditatis non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus, possunt prius deduci expensæ necessariæ ad funus debitoris sepeliendi; quia expensæ funeris præcedunt omne debitum. *ibid. num. 25.*

100. Qui aliquid bona fide contractu oneroso accepit à debitore, nesciens alienationem esse in fraudem creditorum, non tenetur ad restitutionem, postquam cognovit alienationem factam esse in fraudem creditorum à debitore. Qui vero aliquid accepit à debitore titulo gratitudinis, ignorans acceptionem esse in fraudem creditorum, tenetur restituere id in quo factus est ditior, modo repetatur à creditoribus.

ditoribus intra annum à die scientiæ *ibid. num. 27.*

100. Petes, utrum debitor qui non est creditoribus solvendo, peccat contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem damni quod passi sunt creditores, eo quod debitor repudiaverit legatum vel hereditatem, qua non repudiata satisfecisset creditoribus? Resp. in foro conscientiæ peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem damni, quia censetur respicere media ad satisfaciendum. *ibid. num. 36.*

*Causa propter quas differri vel omitti possit restitutio.*

102. Damnum ipsius creditoris vel tertiæ personæ est causa sufficiens ad differendam restitutionem. Propterea quando restitutio creditur futura graviter perniciosa ipsi creditori, vel quando creditur allatura nocumentum alteri, differri potest in tempus congruum & magis opportunum. Hinc sequitur, me posse, imò etiam teneri denegare alteri gladium apud me depositum, petenti ad se vel alterum occidendum; & eum posse restitutionem differre qui commutato accepit equum, quem novit statim à furibus surripendum. *ibid. q. ult. punct. 1. n. 1. 2. & 3.*

103. Potestne, vel teneturne debitor restituere rem, quæ scit suum creditorem abusurum? Resp. quando creditor abusurus est tantummodo in suum detrimentum, ex. gr. in ludos, ebrietates, meretrices, &c. debitorem posse, & teneri restituere præmissa correctione ne abutatur; secus si creditor abusurus sit in detrimentum & injuriam tertiæ. *ibid. nu. 4.*

104. Præterea causa sufficiens ad differendam restitutionem, est incommodum & damnum quod debitor longe minus patitur statim restituendo, quam patiatur creditor ex dilatione restitutionis. hoc tamen intellige de damno distincto à re ipsa restituenda. *ibid. num. 11.*

105. Hinc patet à fortiori debitorem posse restitutionem differre ob vitandum magnum & probabile periculum salutis animæ suæ & suorum: neque tenetur debitor restituere bona inferioris ordinis cum notabili jactura bonorum superioris ordinis; idcirco femina quæ suscepit filium ex adulterio, non tenetur manifestare suum adulterium ad impediendum damnum filiorum legitimorum, si ex ea manifestatione periculum incurrat vitæ vel famæ, quæ enumerantur inter bona superioris ordinis. Debet tamen fieri restitutio



in tali casu per Confessarium, si hoc modo restituendo non  
esset periculum infamiae, vel corporis. *ibid. numer. 12.*  
¶ *seq.*

106. Item debitor potest licite differre restitutionem,  
quando eam praestare non potest, nisi cadat à proprio statu  
iuste acquisito, etiamsi debitum contraxerit ex delicto; ut  
ex comessationibus, ludis, scortis, &c. neque Confessarius  
eum ita cogere debet ad restitutionem, ut ex tali restituti-  
one debitor cogatur emendicare; debet tamen aliquid de vi-  
ctu suo & vestitu detrahare, ut restituat quantum potest  
salva decentia status bona fide acquisiti. *ibid. num. 24. & 25.*

107. Impotentia debitoris ad solvendum est similiter cau-  
sa sufficiens differendae restitutionis, quia impossibile non  
est obligatio. Ad hanc causam revocari potest necessitas ex-  
trema debitoris; imò etiam necessitas gravis, modo credi-  
tor non existat in pari necessitate. Adverte tamen rem acce-  
ptam in extrema necessitate, sed adhuc extantem post ne-  
cessitatem, transacta necessitate restituendam esse. *ibid. nu.*  
*30 32. & 34.*

108. Cessio bonorum est adhuc causa sufficiens differen-  
di restitutionem; quando quidem is qui cessit bonis, censetur  
esse impotens ad satisfaciendum debitis existentibus post  
cessionem. Qui cogitur cedere bonis suis, potest absconde-  
re & retinere quantum necesse est ad tenuem sui & eorum  
quos alere tenetur sustentationem, juxta suum statum. *ibid.*  
*num 36. & 37.*

109. Omitti autem potest restitutio vel obtenta remis-  
sione debiti, modo facta sit omnino libere, nec sit à jure im-  
pedita, vel facta compensatione servatis debitis conditioni-  
bus ad justam compensationem requisitis, vel per composi-  
tionem obtentam à Summo Pontifice, quando ignoratur  
cui facienda sit restitutio, vel per praescriptionem legitimam  
*ibid. punct. 2. num. 1 10. 27. & 29.*

110. Debitor excusaturne à restitutione ob ingressum in  
religionem? Respond debitor non posse ingredi religio-  
nem, quando praevidet fore, ut ingrediendo nequeat satisfac-  
cere creditoribus, quibus satisfaceret manendo in saeculo,  
sive sit debitor ex contractu, sive ex delicto. Ratio est, quia  
obligatio iustitiae praefertenda est consilio: religio autem est  
d. consilio. *ibid. §. 1. num. 1.*

111 Debitor potestne ingredi religionem, quando dubitat

an manendo in sæculo satisfactorius sit creditoribus. Non potest, quia possessio stat pro debitoribus; secus dicendum si agatur tantum de promisso obsequio adimplendo, potest enim ingredi religionem ante illius adimplerionem; & hoc verum est, etiam si promissioni additum sit iuramentum, neque ingrediens religionem in prædicto casu, tenetur ad satisfacienda damna quæ ex illa promissione non adimpleta obveniunt promissario, quamquam si adimpletio promissionis sit actus compatibilis cum religione, tenetur promittens eam adimplere etiam existens in religione. *ib. n. 3. & seq.*

112. Debitor qui religionem ingressus est ante præstitam satisfactionem, quam præstare poterat manendo in sæculo, tenetur curare ut suo labore vel arte acquirat bona quibus satisfaciatur, ex gr. scribendo, vel aliquid aliud faciendo, quantum decet statum religiosum & regularem observantiam, interveniente licentia sui Superioris, quam Superior potest & tenetur concedere, ipse conscius erat debitorum, antequam debitorem admitteret ad religionem. Protestatio debitoris ingredientis religionem ante factam restitutionem valida est. Vide motum Pii V. super hac re. *ibidem. num. 7. 8.*

113. Qui alium induxit ad peccatum, vel abduxit à bono opere absque vi vel fraude, non tenetur ex iustitia, sed ex charitate curare, ut à peccato respiscat; secus si per vim, vel fraudem, v. g. falso dogmate induxerit ad peccatum, vel retraxerit à bono opere, v. g. ab ingressu religionis; is enim tenetur ex iustitia vim & fraudem auferre, & curare ut à peccato respiscat, & si commode potest, alium inducere ad religionis ingressum. *tom. 2. de restitutione in particulari, disp. 2. q. 1. punct. unic. n. 1. & seqq.*

## A D D I T I O.

De restitutione vid. Joan. Med. Pet. Nav. Lud. Carb. Nav. *lib. 7. Salon. q. 62. art. 2. contr. 1.* Thom. Mercat. Val. Bannet. *Less. l. 2. c. 7. & seq. Syl. restitutio. 3. n. 2. Nav. l. 1. c. 21.*

Ad restitutionem tenetur & medicus, & advocatus, & confessor, ex negligentia, quæ damnum dedit iis, quorum causam agebant. Nam confessor, qui damnum dedit cui restituendum erat, non monendo restituere, non ei tenetur, causa enim non ejus, sed pœnitentis agit, quidam putant te-

neri, si ex crassa ignorantia dixit, ne restitueret. *Confessor*)

Syl. l. c. Si ex crassa) vid. Nav. c. 17. n. 22.

Restituere non tenetur, qui sine vi & fraude impedivit liberam donationem, aut collationem beneficii, ad quod nondum erat jus acquisitum. Aut qui testamentum curavit mutari, etiam dolo, nondum enim per illud acquisitum jus, secundum quosdam; at alii merito istum teneri dicunt, quia contra justitiam faciens læsit. Vid. Salon. l. c. *controv.* 25 Joan. B. Corr. q. 116. Sot. l. c. art. 3. *prop. fin.* Nav. c. 17. n. 70. Covarr. *reg. peccatum.* 2. p. §. *in fin.* Adria. *de restitut.* Palud. 4. *dist.* 15. q. art. 2. Sylv. *rest.* 3 D. Thom. Cajet. 2. 2. q. 62. art. 2. *ad 4.* Vid. Tol. lib. 5. c. 19. *Testamentum*) Navar. l. c. Cord. q. 100. *At ali.*) Cov. Joan. B. Corr. l. c. vid. Mercat. *de rest.* c. 17. Nav. l. c.

Qui vulneravit, non tenetur de fœditate relicta à vulnere, sed sed de damno, atq; injuria. Navarr. c. 15. n. 22. Sed Sot. l. c. art. 3. col. 13. deformitatem in mutilo repensandam putat. Scot. d. 13. q. 3. Palud. *ibid.* q. 2 pro ablata vita, & pro mutilatione, præter damna, satisfaciendum putat. Sot. l. c. sol. 19. veniæ petitione, aut alia arbitraria pœnitentia satisfaciendum ait. vid. Bannes. l. c. *dub.* 4.

Nec qui bona fide fecit, tenetur ad damnum inde secutum.

Nec meretrix mendaciis usitatis multa extorquens. Sot. l. c. q. 7. art. 1. col. 9. Bannes l. c. art. 1. *dub.* 5. Nav. c. 17. nu. 41. *in fin.* At si fraude usa esset, dicens, se esse virginem, aut à viro principe tantum cognitam, teneretur. Lopez p. 1. cap. 96. Sot. Sanchez l. c. Cajet. 2. 2. q. 62. art. 1. *ad 2.* Lopez l. c. cum Cajet. *in summ.* non communibus, sed importunis mulierum blanditiis extorta, restituenda esse ait.

Nec qui in extrema necessitate sua & creditoris, sibi retinuit; id quod quidam extendunt etiam ad uxoris aut filiorum extremam necessitatem Sot. l. c. col. 19. Scot. & Rich. in pari necessitate creditori à debitore, dum agitur de vitæ periculo, restituendum putant. Contrarium probabilius putat Sot. l. c. cum D. Thom. & Cajet. & problema putat de patre & creditore. l. c. Leg. P. N. lib. 4. c. 4. n. 2. 5. *de restit.*

De ordine restitutionis P. N. l. c. ult. Nav. c. 17. num. 47. *Med. de restit. quest.* 2. Angl. 2. p. Flor. C. Ant. 2. p. tit. 2. c. 7. §. 3. Sylv. *restitutio.* 7 Tol. l. c. c. 25. Carb. *de restit.* Lopez p. 1. c. 111. Ang. *restitutio.* 2. n. 10. Lefl. l. c. c. 19. d. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

In debitis ejusdem ordinis, ceteris paribus, solvenda priora,

ra, alioqui majori damno prius occurrendum. *Priore*) Vid. Sylv. *restitutio* 6. § 5.

Restituendum, quantum acceptum est, nam restitutio ad æqualitatem reducit, S. Thom. *q. 62. art. 3.*

Statuta regionum, aut civitatum de ordine restitutionis, contra jus naturale non valent. P. N. *l. 4. c. n. 18.* ex Cajet.

*Res.*

Vide v. *Accusator.*

*S.*

*Sabbatum.*

Vide v. *Decalogus.*

*Sacramentum.*

Vide v. *Baptismus, Confirmatio, &c.*

**S**acramentum est signum sacrum non solum significans, verum etiam infallibiliter efficiens rem sacram, sanctificantem homines.

Sacramentum non est ens rationis, quia vim habet efficiendi & significandi, etiam nullo cogitante intellectu, differtque sacramentum à sacramentalibus, quod illa suo modo præcise, & per se, & ex opere operato non conferant gratiam sacramentum vero ex sua natura infallibiliter producit gratiam in suscipiente, nisi ponatur obex. Differt adhuc sacramentum à sacrificio ut sic, quod sacrificium institutum sit ad indicandum divinam excellentiam, non vero ad sanctificantem. *tom. 1. de Sacramentis in genere, disp. 1. q. 1. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. Tripliciter sacramentum dici potest signum, videlicet rememorative, ut passionis; demonstrative, ut gratiæ; & prognostice, ut gloriæ.

De ratione sacramenti est, ut sit signum, similitudine representans id quod significat. *ibid. n. 7. & 8.*

3. Sacramenta novæ legis septem esse docet Concilium Tridentinum; Baptismum scilicet, Confirmationem, Eucharisti-